BERNARDINI CRIPPAE
PHILOSOPHI
IN ARISTOTELIS LIBRVM
DE ANIMALIVM MOTV
AB EO LATINE REDDITVM
ECPHRASES.

Ad Pium V. Pont. Max.



CVM PRIVILEGIO.

Venetijs, M D LXVI.

PIO QVINTO

PONT. MAX.

Bernardinus Crippa

S.



ONSVEVERVNT homines PATER SANCTISSIME omnia, tum quæ ſecundum naturam noua eueniunt, tum quæ præter naturam arte fiunt; tum denique quæ neque ſecundum naturam, neq; præter naturam uirtute aguntur; ſi eorum cauſas ignorarint, uehementer admirari. Quamobrem, cum uniuerſi tuam contueantur uitam, quam neque ſecundum naturam, neque præter naturam, ſed primum tuo ſingulari, pioq; iudicio inſtituiſti; deinde ſcientiarum acceſſione, ac frequentiſſimo uirtutum omnium uſu ſemper egiſti, maxima quadam, & incredibili admiratione afficiuntur. Atque id, ut ego quidem arbitror, iure optimo: nondum enim huiuſce tuæ admirabilis uitæ cauſas pleriſque illorum ſatis notas eſſe puto. Quapropter dabis nunc mihi hanc ueniam Optime Pater, ut eas, quas ego talis tuæ uitæ cognitas teneo, proferam, atque patefaciam cauſas: quibus patefactis, & cognitis unà mecum omnes iam & mirari deſinant, & tantæ tuæ integritatis, ac ſanctitatis exemplar tum ad imitandum, tum ad omni illuſtri laude celebrandum ſibi eſſe propoſitum ſtatuant. Cum igitur ego ſuperiore

anno Romam, ubi perpaucos sum dies commoratus, uenissem, teq; , dum etiam tunc Cardinalis esses, debiti & officij, & cultus gratia aliquoties adijssem, in eum tu semel incidisti sermonem, ut diceres permulta eximia, & præclara ab Opt. Max.q; Deo esse hominum generi tributa, sed in ijs, tua quidem sententia, præclarissimum quiddam existere Aristotelis doctrinam, qua homines mentis suæ diuinitatem, quæ corporis contagione rudis, & hebes facta esset, colere, ac quasi expolire possent. Quare, quidquid tibi ocij superesset maximarum occupationum, id totum in eiusdem authoris cum naturalis, tum diuinæ philosophiæ studium te libentissime solere conferre. Sed, cum utriusque, naturalis uidelicet, atque diuinæ plures essent libri, quosdam tibi delegisse, in quorum tractatione crebrius propter uberiorem cognitionis fructum uersarere: eorum autem librorum unum in primis inter naturales esse, qui de animalium motu inscriptus est. Illi enim nullum alium neque abundantia, neque uarietate doctrinæ anteponendum esse, proptereaq; te maximopere cupere, ut è græco in latinum recte conuersus omnibus philosophiæ studiosis notissimus esset. Hunc ego grauissimum, sapientissimumq; abs te tunc habitum sermonem cum diligentius mecum postea recoluissem, facile intellexi, quàm ampla, quàm magnifica, quàm splendida esset in animo tuo omnium scientiarum, ut ita dicam, supellex. Cum enim de ijs tantum, quæ probe cognita habemus, quisque nostrum rite iudicare soleat, nunquam profecto, nisi, & quæ hic, & quæ in tota Peripatetica traduntur scientia, optime nosses, nisi animus tuus rerum notionibus quasi informatus, ac perfectus fuisset, tam præclarum de hoc libro iudicium facere potuisses.

Quamob-

Quamobrem ex illius doctrina primum quo modo anima suis uiribus moueat corpus animalis, quod similitudine quadam paruus dicitur mundus, simulq; qua ratione magnum quoque, & uniuersum mundum optimus, maximusq; Deus in mouendis corporibus cælestibus tueatur, ac regat, unde, & quàm differenter istorum motorum uterq; cieat motum, & hominis ad agendum facultatem liberam esse, apparet; deinde quanta fuerit naturæ solertia in fabricando mirabiliter animalis corpore, cuius partes, dum mouentur, uarijs, ac multiplicibus afficiuntur qualitatibus, atque mutationibus: post uero, quæ illarum partium sit prima, & propria sedes animæ, tibi penitus esse perspectum necesse est. Atqui cui hæc omnia recte, planeq; percepta sunt, quid ei abesse de diuinarum, naturaliumq; rerum scientia existimari potest? Quocirca tot, tantarumq; rerum intelligentiæ, atque notiones, quas animo impressas, & consignatas tenes, sunt causæ, ut mens tua & uniuersorum infinitatem peregrinando, atque ad summam diuinarū mentium altitudinem penetrando cuncta intueatur, ac contempletur, & foras eminens, & quàm maxime se a corpore abstrahens cum optimo, maximoque Deo se esse coniunctam studiosissime enitatur. Ex quo fit, ut omne corporis obsequium contemnas, omnes turpes uoluptates, sicut labes opprimas, carnisq; societatem eiicias, omnem doloris, ac mortis timorem effugeris, omnia, quæ alij expetunt, & admirantur, infra te ducas, & negligas, denique omnium hominum coniunctionem, & societatem omni charitate, ac liberalitate complectare. Atque horum quidem omnium, quæ apud cunctos mortales iam testatissima sunt, cum splendor, & pulchritudo tibi ob oculos mentis uersatur, tam

insatiabili,

insatiabili, & incredibili compleris gaudio, ut totus ad cœlestium mentium colendam, & imitandam uitam etiam nunc incendaris, ac rapiaris. Vnde, quin Deo charissimus, acceptissimusq; sis, nemini dubitare fas est; quandoquidem opt. Max.q; Deus illos sibi gratissimos esse omni tempore declarauit, qui mentem, quæ diuina est, ac maximã cum ipso cognationem habet, proxime, & secundũ eum diligentissime coluerunt. Vt igitur causæ istæ, cum incognitæ erant, maximã tuæ uitæ admirabilitatem faciebant, sic eædem cognitæ nunc illius imitandæ, & omni celebratione prædicandæ summam uoluntatem, ac studium bonis, ut spero, honestisq; afferent uiris. In quibus cum ego pro mea uirili parte & esse, & numerari uelim, deesse certe nolui, quin efficere, atque tibi illud præstare conarer, cuius te ob communem utilitatem percupidum esse significasti. Itaq; eum ipsum Aristotelis de animalium motu librum, ex cuius lectione mirificam tu capis uoluptatem, è græco in latinum, quanta potui diligentia, conuerti, locos aliquot, qui in omnibus, quos uidi libros, corrupte, deprauateq; leguntur, correxi, & restitui. Sed, cum nihilominus grauissima philosophi sensa obscura, atque recondita essent, quo authoritate, ac uoluntate tua omnibus esset cumulatius satisfactum, ea sic illustrare, & explanare tentaui, ut non interpretem, sed quasi Aristotelem ipsum, qui illa planius eloquatur, agere ausus sum. Ex quo etiam tales meas commentationes græco uocabulo, quia nullum aptius latinum inueni, Ecphrases appellare uisum est. Duram uidelicet admodum, grauissimi laboris, maximæ doctrinæ me suscepisse prouinciam plane sentio; atque eo etiam magis, quòd, cum nonnulla aut inuestigatione, aut attentiore cõsideratio-


ne,

ne, aut disputatione egere animaduerterim, suis locis quædam diligentius inuestigaui, quædam in contemplationem adduxi, quædam etiam in utramq; partem disputaui, in quibus una est de libera hominis facultate ad bonum,& ad malum deligendum, & persequendum quæstio peripatetice tractata, atque decisa. Ac res quidem difficilior quoq; ex eo facta est, quòd nonnunquam coactus sum à grauissimis dissentire aristotelicis interpretibus, quos nominare minime libuit, ne de aliena laude, & industria detrahendo uelle aliquam aucupari gloriam uiderer. In quibus quidem omnibus quid effecerim, quid'ue assecutus sim, tu, qui non tam hominum authoritates, quàm rationis momenta examinare, ac ueritatis uim quærere soles, facillime, optimeq; iudicabis. Nam ipsius ueritatis indicia, quæ ferè innumerabilia passim ex uniuersa tum logica, tum morali, tum naturali, tum diuina proferuntur à me philosophia, ubiq; tibi promptissima,& expeditissima occurrēt. Quorum aliqua si quis à conuersionibus latinis discrepare comperiet, uelim pater sanctissime, ut hunc in græciam ire, id est, ad libros græcos, tanquam ad liquidos fontes, unde à nobis ueritas est hausta, se conferre iubeas. Tunc enim, quàm diligentes, ac fideles in his tractandis fuerimus, plane perspiciet. Itaque hanc nostram operam, qualiscunque est, tibi optimo ex optimo nauaui animo, eandemq; ad te in præsentia mitto;& citius quidem certe simul cum alijs, quæ nunc à me accuratius limantur, & poliuntur misissem, nisi diuturno, grauiq; fuissem uehementer afflictus morbo. Ex quo quidem cum iam euaserim, in hoc ocio, in quod non aduersa, & inuida hominum uoluntate me detrusum esse, sed diuino consilio deuenisse probe iam intelligo,

ligo, nunquam cessabo, sed omni cura, & assiduitate sic in philosophicis uersabor contemplationibus, & meditationibus, quas literis mandare studebo, ut, si uita suppetet, nulla nec naturalis, neque diuinæ philosophiæ pars sine mearum lucubrationum cultu futura sit. Ad quod quidem tam magnum, tamq; arduum opus multò certe alacrior ero, si tu non solum hoc paruum munusculum, sed eum etiam, à quo elaboratum est, in tuam omnibus uirtutibus, ac summa religione præstantissimam accipies fidem; in qua quia uniuersa christiana Resp. felicissime conquiescit, Deus Opt. Max. cuius uicarias partes in hac uita ipse agis, te Pontificem & maximum, & optimum diu nobis incolumem tueatur, ac seruet.

INDEX QVAESTIONVM, Digressionum, & Theorematum, quæcunque ad nonnullas huius libri Ecphrases adiuncta sunt.

IN ARISTOTELIS LIBRVM DE ANIMALIVM MOTV.



PROOEMIVM.



VIA omni contemplatrici scientiæ pro- a
positus finis est[a] veritas, quæ causa exi- 2.p.phię t.3
stit, vt quæque res sit, (tantum[b] enim b 2 p.phię.t.4
vnumquodq; habet, vt sit, quantum de ve-
ritate illud ipsum habere intelligitur) ne-
cesse est veritatem, quæ finis est scientiæ
versantis in contemplatione, rei cuiusque c
naturam esse: nam[c] per quod singula con- 2. ph. t. 11. 5.p phię.t 5
stant, illud sua cuiusque natura sit, opor- d
tet. Hæc autem[d] natura quoniam du- 4.p.phię.r.2 7. p. phiæ.t.
plex esse perhibetur, vna eorum, quæ per 1. 3.
se existunt, ac subsunt alijs, & substantiæ nominantur, altera illorum, 9. p.phiæ t. 21 & 22.
quæ substantijs semper inhærent, & accidunt, & propterea etiam ac- 12. p.phiæ.
cidentia dicuntur, fit, vt illa superior simplex, hæc autem posterior[e] iun- t. 1. e
cta semper, & copulata consistat. Quare, cum in qualibet contempla- p.ph. t. 14.
trice scientia simplex natura, quæ subijcitur, tanquam principium p.de genera
per definitionem,[f] assumi, mixta[g] vero, tanquam finis concludi, ac de- tione & cor ruptiõe.t.12
monstrari debeat, perspicuum est, ad constituendam omnem contempla- f p.post t.14.
tricem, atq; demonstratricem scientiam has ambas necessario adhiben- 75.
das esse naturas. Vnde, quotiescunque, quid sit aliqua scientia, breui- 2. post. t.15 46.
ter, summatimque explicandum est, istæ ambæ omnino naturæ, ad quas 6.p.phię.t 1
ipsa scientia refertur, asciscendæ sunt.[h] Omnis enim scientia in eorum g p. post. t.57
est genere, quæ ad aliud referuntur, quorum si vnum definite cognosca- 76
tur, & alterum simul cognosci necesse est. Cum igitur in præsentia nos 2. ph. t. 89. p.deaĩa t.48
ad huius libri de animalium motu scientiam explanandam ingressuri si- h
mus, operæpretium esse duximus, ante, quid ea sit scientia, paucis per- lib.prædica. mentorũ. c.
stringere. Quapropter & quid sit natura, quæ subijcitur, & item quid de relatiuis.
ea, quæ illi inhæret, vt propria, & per se demonstranda affectio, nobis 5 p.phiæ. t. 20

præcipere conuenit. Itaque, cum cuilibet scientiæ illa sit subiecta natura, [a] cuius propriæ, ac per se affectiones quæruntur, & demonstrantur, cumque hæc tota scientia eò tantum in primis tendat, & spectet, vt motus, quo animalia sua sponte mouentur, ex causis cognoscatur, atque perspectus habeatur, dubium certe non est, quin & animalium natura sit illud, quod subijcitur, & is motus in ea ipsa natura hærens existat propria, & per se affectio, quæ tanquam finis huius scientiæ, demonstrationis conclusione ostendi debet. Ex quo etiam fine liber in primis rectè inscriptus est, & nominatus, [b] siquidem ex fine vnumquodq; nominare maxime rationi consentaneum est. Sed nemini mirum videri debet, si animalium natura nusquam hoc in libro posita, tanquam subiectum, aut tanquam scientiæ principium definitione sit explicata. Nam, cum animal esse inter omnes constet, illud profectò in scientia sumere, atque ponere, quasi alienum, ac superuacaneum fuisset. cum enim natura, quæ subijci debet, [c] nota, perspicuaq; est, eandem neque sumere, aut ponere, sed pro sumpta, atq; posita habere licet. Sed, quia talis subiectæ naturæ definitio, [d] quæ est doctrinæ principium, prætermitti nullo modo potest, si hic tradita non est, ex alijs superioribus scientiæ partibus illam extare omnino oportet. Quamobrem, cum animalium genus ex varijs, diuersis, ac multiplicibus partibus, quæ non omnibus nota plane sunt, tanquam ex materia, & ex anima tanquam ex forma constituatur, in huius scientiæ de animalibus initio [e] omnes singillatim tum intus, tum extra corporis partes, simulque generatim animalium propriæ, & per se qualitates, & actiones, [f] deinde ipsarum partium naturæ, & vsus explicantur, post verò [g] substantia, & vis animæ demonstratur. Ex quibus talem animalis definitionem promere, & expedire facilè licet, Animal est corpus animatum vi sentiendi præditum. Quocirca, cum hæc definitio illhinc se se nobis offerat, & ostendat, eiusdem repetitio in hoc libro, qui est ipsius scientiæ pars, esse prorsus inanis putaretur. huius igitur libri scientiæ & animalium naturam esse subiectam, & motum, quo animal sua sponte cietur, esse finem propositum, qui conclusionis demonstratione cognoscendus est, hactenus, vt arbitror, intelligi potest: cuius quidem motus causæ cùm expositæ, atque planæ factæ fuerint, tum demonstratio confici poterit, & tota doctrina absoluta erit. Quia verò [h] natura omnibus causa ordinis est, oportet, quoniam plures sunt huius scientiæ de animalibus partes, vt vbiq; natura, tum quæ subiecta, tum quæ finis est, dispositionem quandam pariat & ordinem, quo ipsarum partium vna prima, altera secunda, & reliqua

a 1. post. t. 68 69. 4. phis. t. 5
b 2. de anima t. 49.
c 1. post. t. 76.
d 1. post. t. 14
e libris de animaliū hist.
f libris de partibus & de incessu animalium.
g libris de anima.
h 8. ph. t. 15.

reliqua deinceps collocentur. Itaque, cum animalium natura ex ſuis conſtetur principijs, id eſt, ex corpore, tanquam ex materia, & ex anima tanquam ex forma, cumque principia, [a] *ſine quibus illud, quod ex eis conſtat, eſſe nequit, ſint naturaliter priora, primum in hac ſcientia de animalibus ſingillatim, vt diximus corporis partes, deinde ſtatim omnes ſeparatim animæ ſpecies accuratiſſima, vberrimaque doctrina traditæ ſunt, ex quibus vtriſque vbi conſtituta eſt animalis ſubiecta natura, continuo ſequitur etiam altera multiplex natura diuerſarum animalis* [b] *tum actionum, tum affectionum; quæ videlicet actiones, & affectiones, vel ſingulæ ſeparatim, vel binæ coniunctim ſuo deinceps ordine in animali exoriuntur. Quoniam igitur animal, ſimul atq; in generatione vim ſentiẽdi adeptum eſt,* [c] *incipit animal eſſe, primã ipſius actionem, vt animal eſt, eſſe ipſum ſentire neceſſe eſt; quod cum ſine ſenſuum naturalibus inſtrumentis, & ſine rebus externis, quæ ſenſibus percipiuntur, conſtare nequeat, ſtatim poſt animæ tractationem vno de ſenſu, & ſenſibilibus copioſe ſentiendi actio explicatur libro: in quo & quomodo ex facultate ſentiendi tradita in libris de anima & ex ſenſuum inſtrumentis, & denique ex ſenſibilibus ſentiatur, præclare oſtenditur. Quia vero tali externorum ſenſuum actione animal ea tantum, quæ* [d] *adſunt, quæque præſentia ſunt, percipit, & tamen poteſt etiam* [e] *interiore ſenſu communi per memoriam, & reminiſcentiã quaſi ſentiendo, præterita, & abſentia cognoſcere; iure naturæ factum eſt, vt poſt librũ de ſenſu, & ſenſibilibus de memoria & reminiſcentia, quarum vna pendet ex altera, poſitus ſit liber. Cum aũt ſentire, meminiſſe, & reminiſci ſint naturales animalis actiones,* [f] *in quarum vnaquaq; oportet definitum, ac terminatum eſſe, & quanto tempore valeat animal durare & perſeuerare, & quanta quæque illarum poßit eſſe maxima, neceſſe eſt, quando animal agendo vel ipſius certi, & definiti temporis finem, vel ſummum illud atq; maximum actionis tranſierit, vt ob naturalem impotentiã ab actione deſiſtat. Quo facto ſtatim in corde* [g] *cõmunis ſenſus à ſomno, qui eſt cõtrarius vigiliæ, in qua omnes ſenſuũ actiones exiſtunt, obruitur atque occupatur. Et, quia* [h] *is interior communis ſenſus principium eſt reliquorum externorum ſenſuum, cum ipſe conſopitus eſt, etiam cæteros conſopiri, & ſomno obrui conſentaneum eſt. Quare,* [i] *cum ſomnus, & vigilia ſint contraria medio carentia, neceſſariò illorum alterum ſemper in animali erit. At, quia vigilia ſenſuum, aut externorum, aut interioris actio aliqua eſt, ſomnus verò actionum quædam requies, quæ quidem ambæ ſibi ipſis viciſſim locum dant, & ſuccedunt, rectè poſt*

a 5. phiſ. t. 16.
b lib de ſenſu & ſenſibilibus. c. 1.
c 2. de partibus animalium. c. 1. 2. de anima. t. 16. 3. de anima t. 67. 2 de generatione animalium. c 3.
d 2. de anima, t. 60.
e lib. de memoria & reminiſcentia c. 1. 2.
f lib. de ſomno, & uigilia. c. 1.
g lib. de ſomno & uigilia c. 2.
h 2 de anima. t. 145. 146. 147 148 149 3. de anima. c. 31. 32. lib. de iuuẽ. & ſeneɛt. c. 1
i lib. de ſomno, & uigilia c. 1.

consideratione mde memoria, & reminiscentia adhibita est de somno, simul & vigilia tractatio, & explicatio. In quo tamen illud minime ignorandum est, quod, dum somnus, qui est omnium sensuum, tum intus, tum extra occupatio[a] *quædam, & extinctio ad tempus, complexus est animal, nequaquam omni prorsus munere communem sensum spoliat, & priuat. Duplici enim facultate communis sensus præditus est,*[b] *vna iudicandi species sensibiles, quæ ab externis deferuntur sensibus,*[c] *altera recipiendi, atque seruandi earundem phantasmata specierum, est enim phantasma communis sensus affectio. Huius porrò posterioris facultatis munus licet communi sensui aliquo modo etiam premente somno sustinere. In*[d] *eo enim à formarum sensibilium reliquijs, quæ in sensuum instrumentis hærescentes post sensionem remanserunt, potest aliquod phantasma, dum animal est somno consopitum, procreari, & conformari. Talis autem phantasmatis procreatio, & conformatio, quæ somnium appellatur, facilè declarat librum de somnijs proximum libro de somno, & vigilia esse debere. Quoniam*[e] *vero somnium potest esse interdum aut signum, aut causa eorum, quæ vel agenda, vel euentura nobis sunt, si illud quidem, quod est siue causa, siue signum, cuiusmodi sit, cognitum, atque perceptum fuerit, licebit tali somnio prouidere, & quasi diuinatione quadam præsagire futura. Vnde, cur libellus de diuinatione per somnium proxime sequatur librum de somnijs, apertissime constat. Hæ autem omnes, quas deinceps commemorauimus, animalis actiones sic inter se colligatæ, atque implicitæ sunt, vt vna ex alia, & rursus alia ex alia ordine quodam naturæ, sicuti vidimus, pendeat, ac nexa sit, quarum quidem omnium prima, quia principium naturæ animalis est, sentiendi facultas existit. Ex ea autem, tanquam ex fonte omnium, aliæ quoque diuersæ animalis actiones manant, & exoriuntur, quæ si binæ inter se iungantur, causæ fiunt, vt animal aliquo modo se ipsum loco moueat. Nam sensus*[f] *phantasiam ingenerant, & rerum*[g] *suppeditant species quæ in phantasmatibus à ratione intelliguntur & iudicantur,*[h] *& ab ijs deinde diuersorum generum appetitus suscitantur, ac quasi pariuntur. Quapropter si ratio cum voluntate, aut phantasia cum aliquo alio appetitu coniungatur, fit, vt animal aut persequendo, aut fugiendo aliquid se ipsum loco moueat. Animal enim, cum speciem cuiuspiam rei perceptam, vel bonam, vel malam cognorit, ac iudicarit, rem illam, ex qua species excepta est, aut voluptate, & delectatione adductum persequitur expetendo, aut tristitia, & dolore deterritum refugit auersando. Cum igitur motus per locum*[i] *in animali sit omni-*

bus


a lib. de somno, & uigilia c. 1.
b 2. de anima t. 145. usque ad t. 149.
3. de anima t. 31
c lib. d̃ memoria & reminiscētia c. 1. 2
lib. de somniis c. 3
d lib. de somniis c. 2
e lib. de diuinatione per somniũ c. 1
f 2. de anima t. 161.
lib. de somnijs c. 1.
g 3. de anima t. 32. 39
h 3. de anima t. 29 30. 34
12 p. phĩæ t. 36.
i 8. ph. t. 58
2. de gene aĩalĩũ c. 4

bus ferè enumeratis, & pertractatis actionibus posterior, & tamen ab
eodem, à quo & illæ, deriuetur fonte, cur liber de animalium motu,
quem in manibus habemus, ad continuatam superiorum librorum seriem
sit statim adiungendus, causa iam à natura deprompta est. Quare hoc
vnum etiam, quomodo illius doctrina tradita, & ordinata sit, reliquum
est, vt videamus. [a] Omnem enim doctrinam ex duobus habitibus consta- [a] lib. elench.
re necesse est, quorum vnus rei, quæ tractatur, scientia, alter eruditio c.11
quædam, & modus scientiæ appellari solet. Ac rei quidem scientia par- p. de partib. aialium c.1
ticulatim, ex accurata totius doctrinæ cognitione comprehenditur, mo- 2 p. phiæ t.
dus autem scientiæ, quo tanquam regula quadam vniuersam dirigi 15.
oportet doctrinam, prænotus, atque præceptus esse omnino debet. Ip-
sius igitur prima hæc institutio est atque præceptio, vt cum res scien-
tiæ subiecta naturalis sit, & materiæ iuncta, [b] nequaquam tali minuta, b
subtilique inquisitione, ac demonstratione, quali solent mathematica 2. p. phiæ t. 15
à materia libera tractari, tractetur. Altera, vt nisi quid impediat,
exordium scientiæ à rei [c] principijs, & causis capiatur, quæ quidem c
causæ, & principia si plura sunt, & communem aliquam habent per p. post. t. 7. 9 11 15. 66. 68 72
se qualitatem, & affectionem, [d] ab ea qualitate inchoetur doctrina, p. ph. t. 1
vt ab ijs, quæ communiora, promptiora, nobisque notiora sunt, ini- p. p. phię c. 3
tium esse factum appareat. His autem ita seruatis distributio quæ- d p. ph. t. 3. 4
1 *dam totius libri in suas partes extet, necesse est. Primum enim, quia* p. de partibus animalium c. 1. 5
causæ motus, quo animalia se sua sponte mouent, plures sunt, omnes
2 *esse immobiles oportere, ostenditur. Deinde, cum anima sit causa effi-* p. de aia t. 11
ciens motus, & res, vel bona, cum expetitur, vel mala, cum declina-
tur, existat etiam ipsa causa, sed vt finis, cuius gratia mouetur animal,
quomodo & finis excitet, animam ad mouendum, & ipsa anima tum co-
3 *gnoscendo, tum appetendo moueat corpus, declaratur. Post vero, quia*
partes corporis sunt materia subiens hunc motum, & quæ illarum præ-
cipuæ sint, tanquam animalis instrumenta ad mouendum, & quomodo
4 *aptæ, & idoneæ ad motum reddantur, accuratissime docemur. Deinde*
quoniam anima & si in corpore, non tamen in toto, sed in vna quadam
certa corporis particula insidet, atque si principium est, vnde motus,
non tamen se ipsa, sed instrumento quodam molitur motum, primo cor
esse propriam animæ sedem, post autem ingenitum spiritum adhiberi ab
anima, vt instrumentum proprium ad mouendum optime probatur.
5 *Postremo, cum animal non solum voluntario motu, sed etiam quibus-*
dam inuoluntarijs, ac plurimis non voluntarijs à se cieatur, explicato
vsque eò voluntario motu, de inuoluntarijs, & non voluntarijs, quan-
tum

tum ad institutam doctrinam perficiendam attinet, commode tractatur. Ex quo totam huius libri doctrinam in quinque, quasi membra ex scientiæ modo esse dispertitam constat. Primum enim causarum inuestigatio exorsa ab his, quæ vniuersaliora, promptiora, nobisque notiora sunt, suscipitur, deinde ex ipsis vniuersalioribus, & notioribus earundem causarum natura perspicitur, hoc est, qua ratione & anima, vt efficiens, & res aliqua, vt finis ipsius motus causa sit, tum quibus afficiuntur qualitatibus partes corporis, dum cietur motus, et deinceps reliqua, quæ ad has causas, & ad totam istam motus doctrinam spectare videntur diligenter, vt diximus, ordine considerantur, quæ sic se habere melius cognoscemus, si in eorum singillatim contemplationem, atque explicationem iam ingrediamur.

ECPHRA-

ECPHRASES IN LIBRVM DE ANIMALIVM MOTV.



ARISTOTELES.



E Motu autem animalium quæcunque circa vnumquodque genus ipsorum existunt, & quæ differentiæ, & quæ causæ singulorum, quæ ipsis accidunt, considerandum de omnibus est in alijs, omnino autem de communi causa, qua motu qualicunque cientur, (animalium enim alia volatu, alia natatu, alia ingressu, alia talibus alijs mouentur modis) nunc considerandum est.

ECPHRASIS. I.



VIA natura,[a] quæ forma est,[b] & quæ nihil vnquam temere efficit,[c] in vnoquoq; animalium genere & ad se sua sponte mouendum, & ad progrediendum facultatem ingenuit, necesse est, ne talis facultas frustra sit, vt[d] eadem quoque natura partes quasdam, tanquam instrumenta ad eum motum, & progressum mouendum vtiles, atque aptas singulis animalium generibus tribuerit. Quam-

a 2. ph. t. 11. 12 5. p. phis. t. 5
b 2. de cœlo. t. 50.
c 2. de anima t. 18. 37.
d 2. de generatione animalium c. 1.

Quamobrem, vt perfectè sciatur, quomodo à se animalia mouentur, opus est, & quæ illiusmodi partes tum communes, tum propriæ cuiusque animalium generis existant, & quæ sit cunctis animalibus communis causa, vt sic se mouere poßint, optime nosse. Cum igitur eæ corporis partes ad talem necessariæ motum multiplices, ac differentes non solum [a] *in multis, varijsque, sed etiam in vno, eodemque animali inter se sint, operæpretium fuit, quæcunque vnicuique animalium generi debeant inesse, & qua ratione inter se differant, & quæ sint omnium differentiarum causæ, in eo libro, qui est de animalium incessu, & qui, cum doctrinæ ordine hunc antecedat, totam istiusmodi continet cognitionem, plene tradere, atque declarare. Quapropter nunc, de communi causa, qua multifariam, dißimiliterq; à se mouentur animalia vniuersa, agendum, atque considerandum est. Nam alia in aere volando, alia in aquis nando, alia in terris gradiendo, vel serpendo, vel alio simili modo se sua sponte animalia mouent.*

[a] lib. de incess. aiaiiu. c. 1.

ARISTOTELES.

Quòd igitur principium aliorum motuum est id, quod se ipsum mouet, huius autem illud, quod immobile est, & quòd prius mouens necesse est immobile esse, definitum est prius, quando & de motu æterno, vtrum sit, an non sit, & si est, qui sit. oportet autem hoc non solum ratione vniuersali sumere, sed etiam in singulis, & sensibilibus, propter quæ & vniuersales quærimus rationes, & cum quibus congruere ipsas oportere arbitramur. Perspicuum enim etiam in his, quòd impoßibile est, vt moueantur, si nihil quiescat.

ECPHRA-

E C P H R A S I S . II.

Vt via, & arte hæc doctrina procedat, ab ijs,[a] quæ promptiora, communiora, nobisque notiora sunt, initium faciemus, tum sic ad ea, quæ natura magis cognita, habentur, facilius progrediemur. Quamobrem primum, quæ sit istius propositæ communis causæ motus animalium propria, & per se affectio, consideremus, deinde ad eiusdem vim, & naturam perspiciendam, quantum hic locus requirere videtur, nostram conferemus contemplationem. Cum igitur hæc causa principium sit, quo animalia sua sponte à se mouentur, necesse est, vt ipsa per se penitus immobilis existat. Nam [b] in octauo physicorum libro, vbi de motus æternitate disputatum, atque, qui sit æternus motus, demonstratum est, communibus quidem, & vniuersalibus probatum fuit rationibus, principium aliorum, quæ mouentur, esse id, quod mouet se ipsum, huius autem rursus illud, quod per se omnino immobile est, &, si quando plura essent mouentia, primum semper omni motu per se vacare debere. Cum autem [c] communes, vniuersalesque rationes ad communes, & vniuersales adhibeantur naturas, quæ re vera [d] præter sensibiles, atque indiuiduas nullo modo per se consistere queunt, cumque vniuersalium scientia, quæcunque traditur, [e] propter indiuiduorum cognitionem, & sensibilium tradenda sit, consequens nimirum est, si tunc, cum in vniuersalibus, indefinitis, & incertis naturis contemplatio versabatur, illud primum principium esse immobile communibus rationibus, ac demonstrationibus patefactum est, nunc, quia consideratio de eadem re ad certam animalium in primis naturam est contracta, vt id ipsum rationibus, quæ ex singulis persequendis eliciuntur, & formantur, planius confirmetur, & comprobetur, sic tamen, vt cum his rationibus vniuersales illas congruere, atque consentire appareat. Quòd enim [f] vniuersalium rationes debeant cum indiuiduorum, & sensibilium inductionibus conuenire, ex eo manifestissime constat, quòd nequaquam fieri potest, vt ista quoque indiuidua moueantur, vt iam iam palam faciemus, nisi aliquid stet, atque immobile sit.

a p. ph t. 2. 3 4 p. de aĩaliũ hist c 6. p. de partibus animalium. c. 1. p. de aĩa t 11 5. p phĩç. t. 1

b 8 ph. t. 34. usq; ad t 44

c p. post. t. 37 usq; ad t. 43

d p. post. t. 164 p de aĩa t. 8. 3. de aĩa t. 39 5. p. phĩæ t. 31. 7. p. phĩæ. t. 35.

e 7 p. phĩæ. t. 35.

f 8. ph. t. 22. p. de generatione & corruptione t. 58 59. p. de aĩaliũ hist. c. 6.

A R I S T O T E L E S.

Primum quidem in ipsis animalibus: oportet enim si qua particularum moueatur, quie-

ſcere aliquam: & propterea flexus animalibus inſunt. Tanquam enim centro vtuntur flexibus, & fit tota pars, in qua eſt flexus, & vna, & dua, & recta, & flexibilis, dum mutatur potentia, & actu propter flexum. Cum autem flectitur, & mouetur, vnum quidem ſignum eorum, quæ ſunt in flexibus, mouetur, alterum autem quieſcit: perinde ac ſi diametri pars, quæ eſt a. & d. ſtaret, b. autem moueretur, & fieret a. c. Sed hic videtur in omnem modum eſſe indiuiduum centrum. Nam & moueri, ſicuti aiunt, fingunt in ipſis, non enim mouetur mathematicorum aliquid: quæ autem in flexibus ſunt, modo vnum, modo autem diuidua fiunt potentia, & actu.


ECPHRASIS III.

Etſi nunc propoſitum eſt oſtendere potiſſimum in animalibus, dum ſe ipſa mouent, principium talis motus neceſſario per ſe immobile eſſe, tamen, quia non ſolum animal, ſed etiam vniuerſum à ſe moueri cognoſcitur, ideo propter hanc finitimã, ac ſimilem mouendi rationem[a] (nam & animal dicitur paruum vniuerſum) principium, à quo mouetur vniuerſum, quatenus ad hanc attinet doctrinam, eſſe omnis mobilitatis expers declarabitur. Verumtamen primum in animalibus, quæ noſtræ ſunt cognitioni propinquiora, magiſque familiaria, planum faciamus, principium ad animalis motum neceſſarium, quodcunque illud ſit, ſiue materia, ſiue finis, ſiue efficiens, immobile eſſe debere. Ac primo quidem in materiæ principio experiamur. Opus eſt enim cum particula corporis

a 8.ph. t.17.

b p. de partibus animalium c.5.

poris aliqua mouetur, vt altera, quæ superior, interiorúe sit, stet, atque quiescat. Quod vt commode perfici possit, membrorum flexus sunt animalibus à natura dati. Sic enim vtuntur flexibus animalia, vt geometræ, quemadmodum iam iam declarabitur, nonnunquam circuli centro vti solent. Quocirca tota etiam pars, in qua est flexus, tum vna propter flexum, tum duæ, tum recta, tum flexibilis efficitur, hoc est, dum flectitur, declarat se esse flexibilem, cum & sua potentia, & suo actu vicissim mutatur, cum enim recta est & tota quiescit, actu vna est, potest tamen inflecti, & ex parte moueri, & tanquam duæ fieri: quod quidem vbi factum erit, non amplius, recta, & quasi vna, sed flexa, &, quia motu, & quiete distinguitur, tanquam duæ apparebit, & hoc modo ex illa potentia in hunc actum mutata erit, & denuo pariter ex hoc actu in illam potentiam remeare poterit. Quare, cum flectitur, particula inferior mouetur, superior autem necessario quiescit, & ob eam causam in flexu, vbi illæ iunguntur particulæ, extremum signum inferioris, quæ in motu versatur, mouetur, alterum vero, quod est superioris quiescentis, stat, & quiescit. Quod eodem fieri putaretur modo, vt si per alicuius circuli centrum notatum litera .a. ducta sit diameter .d. b. cuius dimidia pars .d. a. citra centrum quiescat, altera vero dimidia a. b. vltra centrum moueatur, & fiat a. c. Atqui hoc si fieri posset, in centro punctum quod est extremum dimidiæ lineæ d. a. quiescentis, quiesceret, alterum autem, quod est ipsius dimidiæ a. c. mouentis, moueretur. Sed cum mathematicum centrum omnino indiuiduum sit (quia[a] centrum est signum, cuius nulla est pars,) nequaquam duo duarum linearum extrema puncta in eo re ipsa vel iungi, vel motu, & quiete distingui possunt. Etenim si quando mathematicis istis naturis geometræ, aut sic, aut aliter motum aliquem tribuunt, is totus fictus, atque commentitius putandus est, quia nihil, quod mathematicum sit, cum[b] à corpore mobili tanquam separatum intelligatur, moueri potest. At, quæ in flexibus consistunt, sua potentia, & actu, quemadmodum etiam paulo ante dictum est, aliquando vnum fiunt, aliquando diuidua, id est cum extrema illa signa duarum particularum motu, & quiete diuiduntur, atque distinguuntur, tum ad eam diuisionem, ac distinctionem se esse procli-



a Eucl. p. lib. Elemētorū, 6, ph. t. 1.

b 2. ph. t. 19. p. de aīa t 17 3. de aīa t. 35

uia ostendunt. Cum enim vnus flexus duo cohibet duarum particularum extrema, quorum vnum quiescat, alterum autem moueatur, tum flexus ille instar duorum habetur, cum vero ambo ipsa extrema, quæ eo vno continentur flexu, quiescunt, tum tanquam vnum videri solent.

Quæstio, vtrum res vlla mathematica moueatur.

HIC *locus magnam inter philosophi dicta controuersiam de mathematicis constituere videtur. Nunc enim nihil mathematicum moueri posse philosophus dicit, aliàs autem pluribus in locis* [a] *& astrologiam esse scientiam mathematicam, & eiusdem contemplationi cœlestia corpora, quatenus mouentur, subijci asseueranter affirmat. Quare, si verum est, quòd astrologia mobilia quædam considerat, falsum necessario esse putaretur, nihil mathematicum moueri posse. Nos autem, cum & horum vtrunq; verum esse, neq; vnũ aduersari alteri arbitremur, vt omnis tollatur controuersia, quomodo istbuc sic se habeat, pro nostra virili explicare aggrediamur. Res igitur, quæ, quasi materia scientijs mathematicis subijcitur, & si separatim* [b] *per se consistere nequit, sed semper in naturalibus, atque sensibilibus hæret, tamen mente, & intellectu, nostro sic percipi ac considerari seorsum à naturalibus potest, vt illorum naturalium substantia in talem considerationem nulla ex parte admittatur. Vnde res ipsa mathematicæ scientiæ subiecta, quia tanquam à naturalibus separata, & abstracta intellectu compræhenditur, rectè* [c] *intelligibilis materia est appellata. Atque* [d] *talis materia aut coniuncti, aut disiuncti quanti natura est. Itaque, cum ipsum per se quantum, ac propriæ, illius affectiones, quæ à nulla oriantur naturali materia, tractantur, & considerantur, vt in geometria magnitudines multis per se figuratæ modis, ac multiformes earundem propriæ affectiones, & in arithmetica numerari cuiusque generis, atque ipsorum proportiones, & propriæ qualitates, tum scientiæ illæ, quia materia ipsis subiecta ad nullam rem certam naturalem applicata est, simplices, ac puræ mathematicæ sunt, neque aliquid, quod eis subiectum sit, quia tanquam segregatum à naturalibus, quæ sola mobilia sunt, tunc intelligitur, vllo modo moueri potest. Cum autem eiusdem quanti natura quasi ad aliquam certam, & definitam rem naturalem adiuncta subit, atque constituit quampiam scientiam, tunc non solum proprias affectiones, sed etiam quandam aliam contractam ex re naturali, cui iuncta est, secum in contemplationem in tota fermè scientia adducit, vt in astrologia non modo*

a 2. ph. t. 20. p. p. phiæ t. 19. 3 p phię t. 7 12. p. phiæ. t. 44. 13 p. phiæ, 2. 3.

b 3. de anima t. 35 6. p. phię. t. 2 7 p. phiæ t. 35. 13. p. phiæ c. 3.

c 7. p phiæ. t. 35. 39. 8. p. phiæ. t. 15.

d 13. p phiæ. c. 3.

corpo-

corporum cœlestium magnitudines, figuræ, & ipsarum propriæ affectiones, verum etiam motus ab ipsorum corporum natura existentes considerantur, & ob talis naturalis qualitatis accessionem, & assumptionem neque scientiæ huiusmodi, neque materiæ eis subiectæ simpliciter mathematicæ, sed mixtæ, & quodam modo ex naturali, & mathematica constitutæ sunt, & propterea[a] magis naturales, quàm reliquæ dici solent. Attamen mathematicarum nomen retinent, quia ne minimam quidem partem substantiæ rei naturalis, ad quam adhærent, ipsarum contemplatio attingit. Hæc si exposita diligenter intuenti, atque consideranti difficilè non est, intelligere, quomodo verum sit, nullum vere, simpliciterque mathematicum moueri, quia tanquam ab omni re naturali, quæ mobilis sola per se est, abstractum intellectu concipitur, atque consideratur, neque huic aduersari, contrariumúe esse, quòd astrologia magnitudines, & figuras, vt in cœlestibus corporibus hærentes, ac constitutas, & quatenus, mobiles sunt, contempletur. Illud enim, vt diximus, tanquam ab omnibus naturalibus separatum, purum, simplexque mathematicum est, hoc autem, tanquam copulatum cum re certa naturali, & mobili mixtum ex diuersis, temperatumque est; nam & si ipsius rei naturalis substantiam missam facit, illius tamen mobilitatem assumptam, ac sibi semper adiunctam habet. Quare duo sunt mathematicorum genera, vnum simplex, ac verum mathematicum, quod penitus immobile est, alterum mixtum, nec plane mathematicum, sed potius, quia rei naturalis substantiam non attingit, similitudinem quandam mathematicorum gerens, & propterea ad rei, cui adhæret, motum etiam mouetur. Astrologia igitur, quæ non simpliciter mathematica, sed similis mathematicis est, tum sibi subiecta, quatenus mouentur, cœlestia corpora habet, tum ob eam quoque causam[b] maxime omnium mathematicarum scientiarum philosophia dicitur, neque propterea cum huius loci veritate id pugnare existimandum est, quia philosophus hic, cum loquatur de simplici, veraque mathematica re, nihil mathematicum moueri verissime dixit.

[a] 2. ph t. 20.

[b] 12 p. phis. t. 44.

ARISTOTELES.

Atqui semper, quà principium est, quiescit, dum particula, quæ infra est, mouetur, veluti, dum lacertus mouetur, cubitus, dum

autem totum membrum, humerus, &, dum tibia, genu, dum autem totum crus, coxendix. Quòd igitur & in se ipso vnumquodque habeat, oportet, aliquid quiescens, vnde est principium eius, quod mouetur, & ad quod annitens & totum simul mouetur; & ex parte, manifestum. Sed omnis etiam in ipso quies frustra esset, nisi aliquid extrinsecus simpliciter, quiescens, & immobile extaret.

ECPHRASIS IIII.

Cum aliqua vna pars animalis mouetur, necesse esse commoditate flexus, qui & motus, & quietis simul est particeps, vt altera quædam quiescat, modo expositum est: vtra autem illarum partium sit, quæ quiescere debeat, deinceps esse ostendendum existimamus. Quare, vt id melius, planiusque intelligi posit, sciendum est, quòd principium, & quasi fons totius & vitæ, & motus animalis est [a] *cor in medio corpore situm, cuius virtutem, & facultatem reliquæ partes ita vberrime, ac primum participant, vt illi proximæ quæque sunt, & ideo, vbi eius virtus in totum corpus diffundenda, atque distribuenda est, oportet, vt primum in proximas ipsa diffusio, ac distributio, deinde in reliquas deinde perueniat partes. Quamobrem, cùm membrum aliquod mouetur, extremitas eius partis, quæ cordi propinquior est, per quam ob talem propinquitatem principium motus deriuatur, & impertitur, tanquam si ipsa mouendi principium contineret, in flexu quiescit, alterius autem partis, quæ à corde longius distat, extremitas mouetur. Vt, si lacertus, brachij pars infra cubitum moueretur, pars supra cubitum cordi propinquior necessario quiesceret; si autem totum brachium in motu versaretur, humerus corporis trunco affixus in quiete esset; similiter autem in alijs quoque membris euenire censendum est, vt, cum tibia, quæ est pars infra genu, mouetur, fœmur, quod est supra genu, quiescat, cum vero totum crus agitatur, coxendix insita trunco stet, necesse sit. Sic igitur,*

a. 2. de partib⁹ aĩaliũ c. 1. 3. de partibus animalium. c. 3 4.

igitur, dum aliqua in vnoquoque animali pars motu cietur, esse debere, alteram quiescentem, & immobilem, per quam principium motus deducatur, atque communicetur, & in qua pars illa altera, quæ vel tota simul, vel ex parte mouetur, necessario nitatur, ac fulciatur, satis constare arbitror. Attamen quia [a] omne, quòd mouetur, aliquo loco contineri debet, locum [b] autem omnem esse immobilem oportet, tota profecto quies ipsa, quæ intus aliquam animalis partem complectitur, dum altera mouetur, cassa, inanis, ac frustra esset ad eum moliendum motum, nisi externum illud, in quo, vt in loco animal consistit, & nititur, quiescens, & immobile prorsus extaret. Quare aliquid huiusmodi penitus immobile extra constituere semper opus omnino est.

a 4 ph. t. 4. 6. 13. 39.
b 4. ph. t. 41 42

ARISTOTELES.

Par autem est, animum attendentes considerare de eo, quod dictum est. Habet enim contemplationem non ad animalia tantummodo pertinentem, verum etiam ad motum, & conuersionem vniuersi. Quemadmodum .n. & in ipso aliquid esse oportet immobile, si futurum est, vt moueatur, sic adeo magis quippiam extra animal esse oportet immobile, ad quod id, quod mouetur, annitens mouetur. Si .n. cedet semper, sicuti muribus in terra, aut in arena gradientibus, non progredietur, neque erit neque incessus, nisi terra stet, neque volatus, vel natatus, nisi aer, aut mare renitatur. Necesse autem, est, hoc aliud esse ab eo, quod mouetur, & totum à toto, & immobile huiusmodi nul-

lam esse partem eius, quod mouetur, sin minus, haudquaquam mouebitur.

ECPHRASIS V.

Quòd animal ad se mouendum frustra partem aliquam corporis in se ipso quiescentem esset habiturum, nisi extra etiam aliquid aliud prorsus immobile existeret, ex ijs, quæ proxime sunt explicata, cognitum esse puto. Quapropter, cum huiusce modi consideratio non ad animalia solum, sed etiam ad vniuersi, quod, vt supra quoque diximus, à se mouetur, motum, atque conuersionem attineat, operæpretium est, omni animi attentione intueri, atque perspicere, cur illud externum immobile, dum animal mouetur, debeat subesse. Id quod vtrum etiam extra ipsum vniuersum poni oporteat, cum necessarium cognitu sit, diligenter paulo post perquiretur, atque ostendetur. Etenim quemadmodum in ipso animali, si moturum est se ipsum, esse oportere aliquam partem immobilem modo docuimus, sic quidem certe multo etiam magis extra ipsum existere aliud omnino quiescens, & immobile necesse est, in quo nixum animal, dum se mouet, moueri possit. Nam, si animal mouendo se ipsum in aliquo niteretur, quod etiam ipsum moueretur, vt auis in aere impulsu ventorum agitato, piscis in rapido, ac fluente amne, homo in foris nauigij celerem cursum tenentis, opus nimirum esset, (quoniam ista non
a 4 ph. t.41. *instar loci, sed* [a] *potius tralatitij vasis habenda sunt) vt id in altero, quod quiesceret, niteretur; quòd si illud quoque moueretur, deueniendum tandem ad vnum esset, quod omni prorsus motu vacaret. Etenim*
b 2. de cœlo. t. 101. *aer, & aqua circum terram,* [b] *quæ perpetuo stat,* [c] *fluunt, & agitan-*
c p. meteor. t. 4. *tur. Namque, si extrinsecus nihil inueniretur immobile, sed, dum mouetur animal, & in vno aliquo primo nititur, omnia deinceps iugi, continuataque cessione refugerent, neque tandem stabile, atque obsistens quippiam consisteret, veluti terra contrita, & in minutissimum puluerem soluta facere solet cedens in summo exempli gratia muribus in ea gradientibus, neutiquam animal ingredi, aut alio modo progredi valeret. Ita neque auium volatus, neque piscium natatus, neque terrenorum animalium ingressus, aut alius eius generis motus esse posset, nisi vel terra renitendo staret, vel tota maris, cæterarumq; aquarum, & aeris moles obsistendo suo contineretur, atque permaneret loco. Atque, cum istiusmodi externum immobile sit locus, necesse est, ita totum esse diuersum*

sum, atque distinctum ab eo, quod mouetur, vt nulla omnino pars illius existat, alioqui nequiret vlla ratione id, quod mouetur, moueri. Verus enim locus, in quo aliquid mouetur,[a] quia immobilis esse debet, in nullo particularum illius, quod mouetur, numero reponi potest. a 4. ph. t. 38. 41, 42.

ARISTOTELES.

Argumentum autem huius est id, quod dubitatur, cur, si quis extrinsecus impellat nauigium conto vrgens malum, aut aliquam aliam particulam, mouet facile, sin autem in ipso nauigio quis esset, & hoc tentaret agere, nequaquam mouere posset; neque si Tityus, neque si Boreas intus ex nauigio flarent, si quis esset flans hoc modo, quo pictores fingunt. Ex se ipso enim efflantem spiritum pingunt. Siue enim leuiter eijciat spiritum, siue ita vehementer, vt ventum efficiat maximum, siue aliquid aliud sit, quod eijcitur, vel impellitur, necesse primum est ad aliquam particularum sui ipsius quiescentem annixum impellere, deinde rursus vel ad ipsam particulam, vel id, cuius est particula, re aliqua extrinsecus innixum stare. Impellens autem nauigium, idemq́ue in nauigio consistens, & in nauigio nixus iure non mouet nauigium, propterea quòd necessarium

est, vt illud, quo innititur, stet. Accidit autem ipsi, vt & quod mouetur, & in quo nititur, idem sit. Impellens autem extrinsecus, aut trahens mouet; nulla .n. nauigij pars terra est.

ECPHRASIS VI.

Dum animal mouetur, aliquid penitus immobile extra ponendum esse, quod nulla sit ipsius animalis pars, magnopere confirmabit, atque plenam nobis faciet fidem exemplum à motu nauigij sumptum, de quo etiam extare controuersia solet. Dubitari enim, ac quæri solitum est, cur, si quis extra constitutus impellat nauigium admoto conto ad malum, aut ad puppim, aut ad aliquam aliam partem nullo ferme negotio moueat nauigium, sin autem intus sit, omniq; contentione id efficere conetur, totus omnino mouendi labor, & conatus frustra suscipiatur; si quidem nullis, quamuis magnis viribus moueri nauigium posset. Quapropter, etiam si faciamus aut Tityum, quem propter inusitatam corporis magnitudinem verisimile est maximam habuisse spiritus abundantiam, in nauigio locatum, atque tantam spiritus vim efflantem, vt vela plenissime turgescant, aut, quemadmodum pingunt pictores, boream intus ex puppi eam copiam ex sese sui flatus emittētem, vt quammaxime panderet, atque vrgeret vela, tamen ne minimo quidem motu nauigium cieri posset. Hoc autem accideret ob eam causam, quod necesse esset, siue tenuis, siue ita vehemens emitteretur flatus, vt ingens conflaretur ventus, siue quid aliud esset, quod emitteretur, aut propelleretur, primum vt impellens in aliqua sui ipsius particula quiescente nixus impelleret, deinde rursus, vt aut hæc eadem particula quiescens, si postrema esset, vt pes, aut illud membrum totum, cuius est particula, exempli gratia, crus, si ea particula non esset extrema, vt tibia, in aliquo externo immobili innitens staret, atque quiesceret, & eo modo impelleret, ac moueret. Ab impellente autem, qui in nauigio & est, & nititur rationi profecto consentaneum est nullo pacto moueri nauigium, quia id, quo innititur mouens, quiescat, atque immobile sit, necesse est. At ei, qui est in nauigio, contingit, vt nauigium sit idem, & quod mouetur, & in quo nititur: qui autem extrinsecus impellit, aut trahit, cum in terra nitatur, quæ neque nauigij pars, & ab ipso mouente alia, ac diuersa,

diuersa, & immobilis est, modo quantum sat est virium ad mouendum, suppetat, facile mouebit.

ARISTOTELES.

Dubitaret autem quispiam, num, si quid mouet totum cælum, oporteat illud & immobile esse, & nullam esse cæli particulam, neque in cælo. Siue enim ipsum, dum mouet cælum, mouetur, necesse est, tangendo aliquod immobile, moueat, & istud nulla sit mouentis particula: siue statim ipsum mouens immobile est, similiter nulla futurum sit particula eius, quod mouetur. Et hoc quidem recte dicunt, qui asserunt, quòd, cum sphæra in orbem feratur, nulla prorsus particula quiescit; vel enim totam necessarium esset quiescere, vel ipsius continuationem distrahi; sed, quòd putant, polos quandam habere potentiam, cum nullam habeant magnitudinem, sed sint extremitates, & puncta, non bene. Nam præter quàm quòd nulla substantia est alicuius talium, etiam moueri vno motu à duobus impossibile est, duos autem faciunt polos. An igitur aliquid se habeat sic etiam ad vniuersam naturam, vt terra ad animalia, & ad ea, quæ per ipsa mo-

uentur, ex talibus addubitare quis posset.

ECPHRASIS VII.

Omni iam ratione declaratum esse constat, extra animal, dum à se mouetur, aliquid diuersum ab eo penitus immobile, atque quiescens constituendum necessario esse. Hoc autem cum ad ea omnia communiter pertinere videatur, quæ se ipsa mouent, cumque vniuersum, vt etiam supra diximus, à se moueatur, iure quærendum esse censemus, vtrum extra vniuersum, quod æterno tempore mouetur, aliquid immobile ab illo distinctum, atque alienum esse oporteat. Quamobrem non sine causa dubitaret, & quæreret aliquis, nunquid illud quod mouet totum cœlum, hoc est, supremum orbem, cuius motu in primis[a] cætera vniuersa deinceps, quæ[b] in eo comprehensa tenentur, aßidue cientur, debeat & immobile, & ita extraneum esse, vt neque vniuersi pars ulla, neque in vniuerso, quod nunc cœlum appellamus, aliqua ratione sit. Vtraque enim pars difficiles explicatus habere videtur. Nam id, si immobile non est, sed mouendo vniuersum etiam ipsum mouetur, necesse est, vt in aliqua alia re externa immobili, vt supra docuimus, quæ nulla sit ipsius mouentis particula, innixum moueat. Quare id, quod minime esse potest, sequeretur,[c] vt corpus aliquod immobile extra vniuersum locandum esset. Sin autem idem mouens sic mouet vniuersum, vt continuo ipsum immobile maneat, similiter necessario eueniet, vt illud nulla sit vniuersi, quod mouetur, particula; ex quo efficitur id, quod maxime absurdum videtur, vt[d] vniuersum non sit vniuersum, cum extra ipsum aliud immobile existat. In quo tamen recte sentire putandi sunt ij, qui, cum cœlestis sphæra in orbem sempiterno tempore versetur,[e] ne minimam quidem illius particulam stare, atque quiescere dicunt. Cum enim sphæra[f] in globosam, rotundamque sit figurata formam, quæ omnium figurarum[g] prima, & maxime vna est, tam perpetua continuatione cohibetur, tantaque perfectione vna est, vt nulla poßit in ipsa partium, quæ motu, & quiete inter se distinguantur, ac discernantur, apparere multitudo. Quamobrem, si vna illius vel minima particula quiesceret, aut totam propter eius summam, maximeque vnam conuenientiam quiescere, aut ipsius continationem diuelli, & dißipari necesse esset. Quorum vtrunque quantum corporum cœlestium naturæ repugnet, ex eo intelligi potest, tum quòd[h] totius cœli motus expers omnis potentiæ necessario æternus est, tum quòd sphæræ[i] corpus omni prorsus vacat mutatione,

a 8. ph. t. 53. 2. de cœlo. t. t. 58. 2. de generatione, & corruptione. t. 56. p. meteor c. 4. 12. p. phiz. t. 34.
b 4. ph. t. 46. p de cœlo. t. t. 96. 97.
c p. de cœlo t. 96. usque ad t. 100.
d 4. ph. t. 46.
e 2. de cœlo. t. 17.
f 2. de cœlo t. 22 usque ad t 32.
g 2 de cœlo. t. 23.
5 p phiz. t. 11.
h 9 p. phiz. t. 17.
i p de cœlo t. 20. 21. 22

ne, ac facultate, qua labefactari, aut diuelli aliquo modo queat. Quòd
autem ijdem vim quandam mouendi tribuunt polis, in multiplici eos
versari errore constat, cum poli nulla prorsus sint præditi magnitudine, a
sed extremitates, & puncta existant. Si enim vis, & potentia mouen- 5 p. phīæ t.
di esset in illis, necessario substantia quædam corporea, & indiuidua es- 17 9.p.phīę t 2
sent,[a] quia omnis potentia semper in aliquo altero est,[b] nullam vero esse b 6 ph.t.1.2.3
substantiam corpoream indiuiduam tota clamat, atque testatur philo- p.de genera
sophia. Huc accedit præterea, quòd necesse est, vt[c] vnus numero mo- tione & cor
tus ab vno solo, non à duobus efficiatur; at[d] motus cæli diurnus & vnus, ruptione, t.
& simplicissimus est, poli autem, quibus isti attribuunt mouendi poten- 8.9 c 8 ph.t. 49
tiam, omnium consensu duo esse in sphæra constituuntur. Ex his igitur 12 p.phīę t.
fieri potest, ut ancipiti consideratione distrahatur animus in perqui- 43. d
rendo, vtrum ad motum vniuersæ naturæ aliquid immobile, & exter- 8.ph.t.75.76
num subesse conueniat, quemadmodum terra subest animalibus, dum vel p.de cœlo t. 8.
se ipsa sua sponte, vel alia quædam mouere solent. 2.de cœlo t. 34

Quæstio, vtrum vnus numero motus poßit eodem tempore à pluribus simul primis motoribus fieri.

QVia in his dictum, atque conclusum est, fieri non posse, vt sphæra mouer etur à polis, qui sunt duo, propterea quòd illius motus est vnus numero, vnus autem numero motus ab vno duntaxat motore, non autem à pluribus, qui primo moueant, effici debet, hoc verúmne sit, nunc sine diligenti perscrutatione minime prætereundum esse iudicamus. Quamobrem, vtrum plures motores, non quorum vnus sic deinceps moueat, vt ab altero ipse moueatur, & tandem illorum vnus sit primus omniū mouens, sed, vtrū plures primi motores simul coeuntes poßint, quod in polis negatum fuit, eo ipso tempore vnum numero moliri motum, perquiremus. Nam id fieri posse vt crederemus, multa, quibus facile adduceremur, sunt exempla. Videmus enim à multis simul remigibus vno motu numero vnam impelli nauim, à multis equis vnū similiter trahi currum, à multis hominibus eodem modo vnum agi, atque volui pondus. In quibus singulis cum plures simul sint primi motores, tamen vbiq; vnus numero motus est. Eò etiam additur, quòd ad vnum constituendum
numero motum[e] tria solum necessaria requiruntur, tempus vnum con- e
tinuum, res vna, quæ moueatur, &, si motus per locum est, locus vnus 5 ph t.34 8 ph t.64
indifferens, hoc est, vt id, quod mouetur, versus vnam tantum, non autem versus differentes loci partes moueatur. Hæc autem simul omnia

cum in vnoquoque eorum, quæ sunt exposita exempla, & in aliis etiam conuenire possint, nihil prohibet, quo minus vnus numero motus à pluribus simul primis motoribus efficiatur. Quapropter supremam sphæram à duobus simul polis vno cieri motu, neque absurdum, neque rei naturæ hac in parte contrarium esse putaretur. Itaque, vt veritas, quæ in hac apparente controuersia latet, emineat, & elucescat, sciendum est primum, quòd [a] aliud est naturaliter, aliud vel arte, vel voluntate moueri, deinde in iis, quæ secundum naturam fiunt, quòd [b] semper idem melius efficitur, modo fieri possit, per pauciora, & per vnum, si illud satis est, quàm per plura, postremo quòd [c] primus cœli motor & expers est omnis materiæ, atque potentiæ, [d] & naturaliter mouet. His ita positis dicimus motum, qui arte, & voluntate fit, à pluribus simul primis motoribus, dummodo sic [e] ad vnum aliquod mouendum referantur, vt omnes pro vno habeantur, sicuti plures remiges ad vnam impellendam nauim, multi equi ad vnum trahendum currum, plures homines ad vnum voluendum, aut portandum onus, vnum numero effici posse, qui vero naturalis est, & præsertim cœlestis sphæræ, non posse vnum, nisi ab vno solum motore fieri. Primum enim si motus primæ sphæræ, qui vnus, simplicissimus, atque naturalis est, à duobus proficisceretur motoribus, natura non assecuta esset id, quod melius est, quia per plura efficeret, quod per vnum melius, vel potius necessario facere deberet, deinde cœli motor, cui ob impotentiam mouendi alter socius fuisset datus, neque sine magnitudine, & materia, neque sine potentia esset. Hæc igitur cum omnem peruellerent veritatem, remanet, quod verissimum est, haudquaquam fieri posse, vt à duobus primis motoribus vnus numero naturalis motus, & præsertim in corpore cœlesti cieatur. Atque in vtroque tam naturali, quàm voluntario motu, qui vnus numero fit, tria illa ante commemorata, rem vnam mobilem, vnum tempus continuum, & vnum locum nihilominus adesse oportet, sicuti diligenter consideranti facile perspectum esse potest.

a lib. mecha. c. 1.
b 8 ph. t. 48.
c 8. ph. t. 86. 12. p. phiæ. t 30.
d 2 ph t. 73.
e 5 p. phiæ. t 11.

ARISTOTELES.

Facientes autem fabulose Atlantem in terra tenentem pedes, viderentur ingeniose fabulam dixisse, perinde ac si is, quasi diameter esset, &

& cœlum verteret circum polos. Hoc autem pulchre eueniret, propterea quòd terra stat; sed ista dicentibus necessarium est, asserere ipsam terram nullam esse vniuersi particulam. Præter hæc autem vires mouentis æquales viribus stantis esse oportet. Est enim magnitudo virium, & potentiæ, per quam stat id, quod stat, quemadmodum & per quam mouet id, quod mouetur; & est quædam proportio ex necessitate vt contrariorum motuum, sic etiam quietum, & æquales quidem impatibiles vicissim inter se sunt, vincuntur autem secundum exuperantiam. Quare siue Atlas, siue quid eiusmodi alterum ex ijs, quæ sunt intus, est mouens, nihilo magis fore oportet, vt reuincat quietem, qua terra manens stat, aut mouebitur terra è medio, & ex proprio ipsius loco. Vt enim impellens impellit, sic illud impellitur, quod impellitur, & similiter secundum vires; mouet autem quiescens primum. Quamobrem multo etiam maiores sunt vires, aut similes, & æquales quietis; eodem autem modo & vires eius, quod mouetur, non autem mouet. Tantam igitur oportebit esse potentiam terræ in quiescen-

do

do, quantam & cœlum vniuersum habet, & illud, quod mouet ipsum. Si autem hoc impoßibile, impoßibile etiam est moueri cœlum ab aliquo huiusmodi eorum, quæ intus sunt.

ECPHRASIS VIII.

Quàm difficile sit dijudicare, atque constituere, quomodo primus motor moueat vniuersum, ne quid absurdum, ac repugnans veritati sequatur, ex ijs, quæ in controuersiam modo vocata sunt, constare potest. Quocirca nonnulli tam magnæ occurrere difficultati cupientes ingeniose illi quidem, & acute, sed minime rei naturæ conuenienter, & congruenter fabulam de Atlante protulerunt. Fingunt enim isti Atlantem pedibus nixum in terra,[a] quæ tota immobilis in medio mundo manet, duarum columnarum, quarum vnam dextera, alteram sinistra manu compræhensam tenet, alterno impulsu circum polos voluere cœlum, eundemque talem cœli volutionem moliri, tanquam si mundi diameter esset, quia[b] vniuersi extrema, hoc est, cœli ambitum, locum supremum, & terram in medio positam, locum infimum attingere statuitur. Atqui hoc illis belle succederet in eam partem, quatenus terra, in qua Atlas mouendo nititur, perpetuo quiescens manet; sed, quia necesse ijsdem esset, negare terram esse omnino vllam vniuersi partem, (siquidem illud ad quod motor annititur in mouendo, extra prorsus id, quod mouetur, esse oportet,) grauißime labuntur; terra enim suapte natura in medio hærens cœli complexu continetur, & ob eam causam necessario pars quædam vniuersi est. Peccant præterea non leuius etiam in tali positione isti, quandoquidem vires terræ quiescentis pares facere viribus simul & ipsius mouentis, & cœli, quod mouetur, coguntur. Hoc autem vt clarius appareat pro comperto esse nobis habendum oportet, quòd vires & mouentis, & quiescentis, in quo mouens mouendo nititur, quandam inter se necessario semper obtinere æqualitatem debent. Vt.n. in quiescente vis quædam, & potentia, qua quiescit, sic in mouente, quod, cum corporeum nunc constituatur, dum mouet, mouetur, pariter vis, & potentia, qua mouet, insit, necesse est. In quo non solum motus ad contrarium motum, sed etiam ad contrariam quietem necessario proportionem habeat, oportet. Atque, cum in eiusmodi proportione contrarij motus,

a 2. de cœlo t. 96 usque ad t. 103

b 4. ph. t. 5. 42 p. de cœlo t. 44 2. de cœlo t. 73 4. de cœlo t. 45.

tus, seu quietes continentur, ac mutuam inter se quãdam seruant æqualitatem, minime se mutuo tollere, aut labefactare possunt; cum autem nulla retenta proportione, aut æqualitate vnus excellit, & exuperat, atque pro suis idem viribus agit, alter porro contrarius siue motus, siue quies aut labefactatur ex necessitate, aut omnino deletur. His igitur cognitis siue Atlas, siue quippiam aliud eiusmodi eorum, quæ intus in mundo consistunt, mouet cœlum, nequaquam oportet, vt ipsius in mouendo vis ita proportionis, & æqualitatis transeat fines; vt superet, & conterat, atque extinguat quietem, qua terra stat; alioqui mouebitur, & expelletur terra è medio, qui est proprius ipsius locus. Eodem enim impulsu, quo mouens impellit, ipsum quiescens impellitur, similiterque quemadmodum illud pro viribus suis impellit mouendo, & vrget, ita hoc pro viribus vrgenti, & impellenti quiescendo resistit. At istud mouens, quod impellit, siue Atlas, siue quodcunque aliud sit, huiusmodi esse necesse est, quia, dum mouet, primum existit, quod in terra nitendo stat, & quiescit. Quamobrem, si ipsa terra suo non extruditur loco, vel multo etiam maiores erunt vires, quibus stat, & quiescit, vel similes, & æquales viribus mouentis, & impellentis. Quia vero cœlum, quod mouetur, nec tamen propterea mouet aliud, quasi fulcitur, ac sustentatur ab Atlante mouente, oportet similiter, vt illius quoque viribus simul æquentur vires terræ. Quapropter tantam inesse vim, & potentiam in terra, quoniam obsistens Atlanti mouenti, atq; torquenti cœlum quiescit, & stat, quantam vniuersum cœlum, simul & Atlas mouens ipsum, habet, necesse est. Hoc autem si nequit vllo pacto fieri, quoniam terra [a] præ cœli magnitudine minimum quiddam est, neque vt ab aliquo eorum quæ intus in mundo sunt, moueatur cœlum, fieri potest.

[a] 2. de cœlo. t. 112. p. meteor. c. 3.

ARISTOTELES.

Est autem quædam dubitatio circa motus particularum cœli, quam, tanquam affinem his, quæ dicta sunt, consideraret quispiam. Si quis enim potentia motus superet quietem terræ, patet, quòd mouebit ipsam è medio; atque vis, secundum quam est ipsa potentia, quòd non

ſit infinita, perſpicuum; neque enim terra infinita eſt; quare neque grauitas ipſius. Quoniam autem impoßibile dicitur multifariam, (non enim eodem modo eſſe impoßibile dicimus & vocem à nobis videri, & eos, qui ſunt ſuper luna; illud enim ex neceßitate, hoc autem natura cõparatum, vt videatur, nõ videbitur,) cœlum videlicet incorruptibile, & indiſſolubile arbitramur ex neceßitate eſſe. Euenit autem ſecundum hanc rationem non ex neceßitate: comparatum enim natura eſt, & contingit eſſe motum maiorem, & quo terra quieſcit, & quo ignis, & ſuperum corpus mouentur. Si igitur ſunt excellentes motus, diſſoluentur hæc inter ſe, ſin autem non ſunt, ſed contingit, vt ſint, (infinitum enim non contingit, propterea quòd neque corpus contingit infinitum eſſe,) contingeret diſſolui cœlum. Quid enim hoc euenire prohibet, ſi quidem impoßibile non eſt? Non eſt autem impoßibile, ſi neq; oppoſitũ neceſſarium eſt. Sed de dubitatione iſta erit altera tractatio.

ECPHRASIS IX.

Quàm longe à vero abſint, qui ad tollendam controuerſiam de cœli motore excogitarunt, & finxerunt Atlantem mouere cœlum, hactenus explica-

explicatum, atque declaratum est. Nunc autem, cum talis controuersia è medio tollenda esset, expedire magnopere videtur, vt prius altera quædam illi maxime coniuncta quæstio dissoluatur, ex cuius dissolutione illa quoq; superior per se penitus sublata erit. Nam de motu orbium cœlestium,[a] qui sunt totius vniuersi particulæ, aliquis non sine ratione in dubium venire posset. Cum enim singulorum orbium motores [b] ab omni sint prorsus materia liberi, & ob id [c] vim, & potentiam, qua æterno tempore mouent, habeant infinitam, si quis à tali vi, atque potentia ad mouendum infinita constitueret virtutem, qua terra quiescens manet, vinci, ac superari, dubium profectò non est, quin terra è medio moueretur, & eijceretur. Atque, quòd terræ quiescentis vires, secundum quas ipsa motus potentia, ac facultas ad vsum adhibetur, infinitæ non sint, & propterea superari ab illius facultatis infinitate queant, minime obscurum ex eo esse potest, quòd [d] neque terræ molem esse infinitam posse alibi probatum, ac demonstratum est: quare nec ipsius grauitas, [e] quæ facultas est, per [f] quam natura & ad medium fertur, & ibidem quiescit, infinita vllo modo esse potest. Quamobrem facta illius infinitæ facultatis accessione ad mouendum terra sine dubio è medio pelleretur. Vt igitur huic dubitationi satisfactum sit, considerare oportet, vtrum motores, etiam si ab omni sint alieni materia, possint intendere, & augere suorum orbium motũ, an id impossibile sit. Quia vero ipsius impossibilis significatio multiplex est, (aliud enim impossibile est, cui aduersatur rei natura, aliud, cui obsistit impedimentum aliquod, & propterea si dicamus impossibile esse, vt vox videatur, vocem videri ita impossibile est, vt necessario, quia huic natura repugnat, nequeat vlla ratione videri, si vero aliqui exempli gratia super luna essent, & eos videri esse impossibile diceremus, cum illi sua quidem natura visibiles essent, atque videri possent, tamen, quia loci distantia, & corpus interpositum lunare impedimento esset, nunquam à nobis viderentur, & hoc non repugnante natura, sed interiectò impedimento impossibile esset) nos asseueranter ex doctrina[g] alibi vberrime tradita affirmamus cœlum, siue totum vniuersum incorruptibile, & indissolubile esse, hoc est, impossibile ex natura & ex necessitate, vt corrumpatur, atque dissoluatur, & ob eam rem motus orbium, neque augeri, neque intendi posse. Ei vero, qui augeri, maioresque effici vult orbium cœlestium motus, contingit, vt nequaquam vniuersum necessario, ac natura incorruptibile, atque indissolubile sit. Ex illius.n. sententia esset natura constitutum, ac facile contingeret, vt motus, quo & terra suo loco apte quiescit, & superum cœleste corpus in orbem tor-

a p. de cœlo t. 5.
3. de cęlo. t. i p. meteor. c. 3.
b 8. ph. t. 86. 1 i. p phię. t. 30. 43.
c 8. ph. t. 86. 12. p. phię t. 41.
d p de cœlo t. 46. usque ad t. 54.
e 4 de cęlo t. i
f 2 de cęlo t. 96 usque ad t 103.
g p. de cœlo t. 101. usq; ad finem libri.

a p. meteor. c. 4. *quetur, cuius citißima conuolutione* [a] *ignis, & deinceps sublimior aeris pars vnà trahitur, ac rapitur, augescere, maiorq; fieri posset, atq; adeo fieret. Itaque, si orbium motus intentiores, excellentioresque fiunt, hæc omnia inter se elementa, quæ sunt vniuersi partes, diuellentur, atque dissoluentur; sin autem non sunt, aut non fiunt intentiores, atque excellentiores, sed fieri, & esse possunt, (non enim infiniti sunt, quia sic crescere non possent, cum* [b] *neque illorum corpora, neque vllum omnino corpus esse infinitum posit) nimirum etiam vniuersum posset dissolui. Nam si ex opinione, quæ facit motus augeri posse, non est impoßibile, sed contingens, ac poßibile, vt dissoluatur, nihil profectò, quo minus id eueniat, prohibet; quoniam contingens, siue poßibile eius est naturæ, vt,* [c] *si faciamus illud esse, nullum sequatur absurdum, aut impoßibile. Atqui non esse natura impoßibile ex ea opinione, & ratione vt vniuersum corrumpatur, ac dissoluatur, constat, quia eius oppositum, quod est, vt non corrumpatur, neque dissoluatur, necessarium non constituebatur. Quamobrem, si orbium motus augeri, etiam vniuersum posse dissolui videretur. Sed totam hanc discutere dubitationem primæ philosophiæ munus est, ibi* [d] *enim cæli motorem esse penitus immutabilem, neque alio se habere modo posse demonstratum est.*

b p. de cælo. t. 35. usque ad t. 43.

c 9. p. phisæ t. 78.

d 11. p. phisæ t. 38.

ARISTOTELES.

Nunquid autem oportet semper extra id, quod mouetur, esse etiam immobile aliquid, & quiescens, quod nulla sit illius particula, necne? Idq; vtrum & in vniuerso sic esse necessarium est? Fortasse enim videretur absurdum, si principium motus esset intus. Quare ita existimantibus videretur bene ab Homero dictum esse.

Sed non traheretis è cælo in terram
Iouem supremum dominum, neque, si
Permultum laboraretis.
Omnes autem apprehendite dij, omnesque deæ.

Quod omnino quidem immobile est, à nullo con

tingit

tingit moueri. Vnde soluitur etiam dudum dicta dubitatio, vtrum contingat, an non contingat dissolui cœli constitutionem, si ex immobili pendet principio. in animalibus autem non solum, quod ita immobile est, oportet existere, sed etiam in ipsis, quæ per locum mouentur, quæcunq; ipsa mouent; oportet enim ipsorum aliud quidē moueri, aliud autem quiescere, ad quod illud annitens, quod mouetur, mouebitur; vt, si quam particularum moueant, alteram enim anniti ad alteram, tanquam ad acquiescentem oportet.

ECPHRASIS X.

Quòd motus corporum cœlestium augeri minime poßint, quia illud sequeretur impoßibile, vt vniuersum dissolueretur, ex ijs, quæ proxime sunt explicata, planum esse factum, mihi persuadeo. Vt autem non solum adducendo ad impoßibile, sed etiam ex causa aliquo modo demonstrando res firmior, stabilior, atq; perspectior habeatur, & ambæ simul soluantur propositæ quæstiones, exploratum nobis esse oportet, nunquid extra id, quod mouetur, semper opus sit, immobile, aliquod existere, & quiescens, quod nulla sit eius, quod mouetur, pars, idque in primis sic se habere in ipso vniuerso necessarium sit. Tale autem immobile, & quiescens non tanquam materiam, sicut in animalibus supra declaratum est, sed, quod sit principium, vnde motus, intelligi volumus. Nam absurdum quidem, ac rerum naturæ dissentaneum iure censeretur fortasse, si huiusmodi principium motus, quod infinitam potentiam habet, & æterno tempore mouet, intus in vniuerso, atq; illius particula esset aliqua. Quocirca, qui ita sentirent, non possent nō vehementer probatum habere, quod ab Homero præclare dictum est. Declaraturus enim [a] Homerus maximam,

[a] in prin. libri 8 iliados.

mam, summamque potentiam, atque immobilitatem Iouis, vtpotè qui principium est, quo & cœli mouentur, & vniuersum regitur, facit in magna deorum concione eum ipsum Iouem habere orationem, qua osten dit, se penitus immobilem, atque immutabilem esse, nihilque vires, & conatus reliquorum omnium simul deorum contra eius immutabilitatem valere, ac posse. Quòd si periculum facere vellent, iubet, vt cuncti vnà dij, deæq; è cœlo auream appensam cathenam apprehendentes omni contentione trahant; tunc enim ne minimum quidem suo loco eum moueri toto isto conatu perspicient. Nempe, quod omnino immobile, atque immutabile est, id nulla ratione contingit, vt moueri, aut mutari queat. Ex quo dubitationē, ac quæstionē paulo ante excitatam, in qua quærebatur, contingat, an non contingat motus orbium sic augeri, vt terra è medio extrudatur, atque propterea vniuersi dissolutio sequatur, licet facile soluere; siquidem principium, ex quo vniuersum pendet, & regitur, in suoq; statu seruatur, [a] *immobile, & immutabile manens eodem semper modo se habet; & ob eam causam neq; vt intendantur cœlorum motus, neque vt vniuersum dissoluatur, fieri vllo modo potest. Vnde etiam constat, non esse Atlantem cœli motorem, sed principium istud, quod, cum omnis sit expers materiæ, atq; penitus immobile, sic mouet cœlum, vt nulla re alia externa quiescente, in qua nitatur, opus sit, & propterea nec in vniuerso, neque vniuersi aliqua particula est. In animalibus autem, quæ quodammodo, vt supra diximus, parua sunt vniuersa, non solum principium motus similiter immobile, quod est anima à toto* [b] *corpore per se mobili distincta, sed etiam in singulis ipsorum partibus, quascunq; vnumquodq; animal loco mouet, immobile aliquid, tanquam materia, vt antea quoque ostendimus, esse debet. Oportet enim, dum vna mouetur pars, vt altera quiescat, ad quam illa, quæ mouetur, annitatur; vt si vnam aliquam particularum moueat animal, opus est, vt ista, quæ mouetur, in altera ei adiuncta, tanquam in quiescente, cum tamen re vera non omnino quiescat propter continuationem, ac colligationem cum illa, quæ mouetur, innitatur.*

a 8 ph. t. 52. 12 p. phi. t. 38.

b 2. de aïa t. 4.

ARISTOTELES.

De inanimatis autem, quæcunque mouentur, dubitaret quis, vtrum omnia in se ipsis habeant & quiescens, & mouens, & ad aliquid

externo-

externorum quiescentium & hæc anniti necesse, an impoßibile sit, velut ignem vel terram, vel inanimatorum aliquid; sed à quibus hæc mouentur primis; omnia enim ab alio mouentur inanimata. Principium autem omnium, quæ sic mouentur, sunt ea, quæ se ipsa mouent. Horum autem talium dictum est de animalibus. Omnia enim huiusmodi necesse est, vt & in se ipsis habeant quiescens, & extra, ad quod annitantur. Si autem est aliquid superius, & primum mouens, incognitum est, & alia tractatio de huiuscemodi principio. Animalia autem, quæcunq; mouentur, omnia ad ea, quæ extra sunt, annitentia mouentur, & respirando, & expirando. Neque enim refert magnum eijcere pondus, vel paruum; quod quidem faciunt spuentes, & tußientes, & inspirantes, & expirantes. Vtrum autem in eo, quod seipsum loco mouet, tantummodo quiescere aliquid oportet, an etiam in illo ipso, quod à se alteratur, & augetur? De generatione autem, quæ ab initio est, & corruptione alia tractatio. Si enim est, quem dicimus, primus motus, generationis, & corruptionis ipse causa esset, & alio

rum

rum videlicet motuũ fortasse omnium. Quemadmodum autem in vniuerso, etiam in animali, cum perfectum fuerit, motus primus is est. Quare & accretionis, si quando factum fuerit, ipsum sibi ipsi causa erit, & alterationis, sin minus autem, non est necesse. Primæ autem accretiones, & alterationes ab alio fiunt, & per alia. Generationis, & corruptionis nequaquam poßibile est, ipsum sibi ipsi causam esse. Ante enim esse mouens, quàm, quod mouetur, & generans, quàm, quod genitum est, oportet. Ipsum autem seipso prius nullum est.

ECPHRASIS XI.

Hactenus in duobus animatorum generibus, quorum vnum animalia, alterum complectitur vniuersum, cuius primæ, atque præcipuæ partes, quæ sunt cœlestia corpora,[2] animatæ existunt, declaratum, & expositum est, quot, & qualia vtrunque illorum, quatenus se loco mouet, immobilia principia motus siue intus, siue extra habere debet. Cum autem inanimata etiam loco moueri, & animalia multis quoque alijs mutationibus, vt alteratione, accretione, diminutione, & alijs similibus cieri, atque in vno quiescentia loco tum spuendo, tum tußiendo, tum respirando a se agitari cernantur, cum hac nimirum doctrina maxime congruens esse videtur, vt & de inanimatorum motibus, & de talibus animalium mutationibus, & agitationibus, consideratio aliqua suscipiatur. Quamobrem de inanimatis, quæcumque sint, quæ loco moueantur, merito inquireret aliquis, an omnia, cuiusmodi est ignis, vel terra, vel quippiam aliud inanimatum & in se ipsis necessario tum immobile illud, quod est principiũ, vnde motus, tum etiam particulam aliquam quiescentem habeant, & in aliquo extrinsecus immobili, dum mouentur, nitantur,

[2] 2. de cœlo t. 3 3.

nitantur, an id minime fieri poßit, sed satis sit, si hæc immobilia, & quiescentia adsint tantummodo ijs, à quibus primo ista inanimata mouentur. Atqui hoc certe verisimile, credibileque videtur, quoniam inanimata omnia propter eorum admodum[a] imperfectam formam[b] ab alio semper mouentur, & principium motionis ipsorum, vt in initio quoque diximus, sunt ea, quæ sua sponte se ipsa mouent. Quæ cum diuersorum generum sint, (aliud enim se ipsum mouens est animal, aliud vniuersum,[c] aliud vnusquisq; orbis cœlestis) quamquam nonnulla ad vniuersum pertinentia dubitando solum hic tacta sunt, tamen de animalibus plene tractatum est. Ea enim omnia, dum à se mouentur, & intus in se ipsis habere aliquid immobile, ac quiescens, & extra in quo nitantur, pluribus supra docuimus. Si vero corpus cœleste mouens se ipsum est quiddam ipso animali superius, & primum mouens hæc inanimata, nihil de hoc motus principio nobis in præsentia compertum esse potest, talis tamen doctrina suis, & multis quidem locis, præsertimque in libris &[d] de cœlo,[e] & de generatione, & corruptione tradita, & explicata est. Quare, vt reliquas animalium propositas motiones, ac mutationes persequamur, tenendum est, animalia, quæ adducendo, & reddendo spiritum cientur, qualia sunt habentia pulmones, omnia, dum id faciunt, sic cieri, atque moueri, vt in aliquo externo quiescente nitantur. Et, quamuis spiritus, qui[f] pulmonibus, & corde concipitur, & redditur, perquam leuis sit, tamen in respirando, & expirando non egere animalia tali externo nixu minime opinari oportet. Nihil .n. interest, vtrum graue aliquid, an leue proijciatur, quod spuentes, & tußientes, & inspirantes, & expirantes facere videntur. Cum autem animal, dum à se loco mouetur, aliquid intus in se ipso quiescens necessario habeat, recte quæri posset, nunquid, cum à se quoque alteratur, & augetur, quiddam simile quiescens intus pariter habere debeat. De generatione autem, qua animal incipit, & corruptione, qua desinit esse, alibi & potißimum[g] in secundo de generatione, & corruptione libro considerandum est. Ibi enim declaratum est, si motus per locum[h] est primus omnium motuum, eum in corporibus cœlestibus tũ accessu solis, cuius[i] salutari calore semen fœcundum ad procreationem fit, tũ recessu, quo vniuersa tristitiam quamdam contrahere videntur, causam generationis, & corruptionis, & deinceps verisimiliter omnium quoque aliorum motuum esse. At quemadmodum in vniuerso, sic in animali, postquam generatum, atque perfectum est, eius generis motum esse primum maxime conuenit. Quapropter, cum animal sibi ipsi principium motus, per locum sit, etiam cum fa-

a 4. meteor. t. 54.
b 8. ph. t. 29. usq; ad t. 33
c 2. de cœlo t. 61. usque ad t. 66.
d 2. de cœlo t. 20. 21.
e 2. de generatione, & corruptione. t. 56. 57. 58.
f l.b. de resp. c. 13. 15.
g 2. de generatione, & corruptione. t. 56. 57 58.
h 8. ph. t. 55. usq; ad t. 61
i 2. de gñatione aĩalũ c. 3

ctum, & absolutum post generationem fuerit, sibi ipsi causa & accretionis, & alterationis erit; cum autem nondum perfectum, & absolutum in generatione est, non est necesse, vt sibi alicuius mutationis causa existat. Primæ autem accretiones, & alterationes animalis, dum aluo matris adhuc imperfectum continetur, [a] *per venulas ex eius vmbilico nascentes, & matris aluo insitas virtute ipsius matris efficiuntur. Itaque, si animal, dum sua sponte à se motu per locum cietur, immobile aliquid intus habere debet, & accretiones, atque alterationes, quæ ab eo ipso existunt, non possunt esse, nisi antecedat motus ille per locum, necesse profecto est, ut propter illum motum etiam, dum deinceps augetur, & alteratur, aliquid intus in se immobile, ac quiescens habeat. Generationis autem & corruptionis, nequit aliquo modo fieri, vt vllum sibi ipsi ipsum causa sit. Oportet enim* [b] *prius natura esse mouens, quàm id, quod mouetur, & generans, quàm id, quod generatum est, quia hoc sine illo esse non potest, nullumq; neque* [c] *se ipsum generat, neque se ipso prius est. Corruptionem autem, & interitum nihil est,* [d] *quod naturaliter sibi asciscat, cum omnia ob eam rem generentur, vt sint, & suapte natura perpetuitem, & sui conseruationem expetant, ac persequantur.*

a 2. de generatione & aīalīū c. 4. 5.
b 5. p. phīæ. t. 16. 12. p. phīę t. 43.
c 2. de generatione aīalīū c. 1.
d p. ph. t. 81. 2. de generatione & corruptione t. 59. 2. de aīa t. 34 2. de generatione animalium c. 1.

ARISTOTELES.

De anima igitur, an moueatur, necne, & si mouetur, quomodo moueatur, prius dictum est, in ijs, quæ de ipsa definita sunt. Quia vero inanimata omnia, mouentur ab alijs, de primo quidem quod mouetur, & semper mouetur, quomodo moueatur, & qua ratione primo mouens moueat, definitum est prius in his, quæ de prima philosophia sunt. Reliquum autem est contemplari, quo pacto anima moueat corpus, & quodnam sit motus animalis principium. Præter n. vniuersi motum animata sunt causa

motus

motus aliorum, quæcunq; non mouentur inter se eò, quod mutuo inter se offendant. Quare & terminum habent omnes motus ipsorum. Etenim etiam ij, qui animatorum sunt. Omnia enim animalia & mouent, & mouentur, alicuius gratia. Quapropter hoc, quod est, cuius gratia, cuiusque motus est ipsis terminus.

E C P H R A S I S XII.

Principium eius, quod se ipsum mouet, immobile esse, quod initio propositum fuerat demonstrare, præclare, vt arbitror, iam demonstratum est. Cum autem huiusmodi principium immobile, quod videlicet ad motum animalis necessarium est, triplex esse debeat, vnum extra, intus autem duo, quorum alterum est aliqua corporis particula, tanquam materia, alterum vero anima, causa efficiens motus, consequens necessario nunc est, vt & quomodo anima moueat corpus, & à quo excitetur ad mouendum, declaretur; atq; planum penitus fiat. Quamobrem, cum anima informet corpus, & id ipsum etiam moueat, iure dubitari posset, vtrum in mouendo ipsa quoq; moueatur, an immobilis sit, vt dictum est; vnde in libris de anima[a] traditum, atque definitum est, nullo modo animam per se moueri posse, contingere tamen, vt ad motum corporis etiam ipsa aliquo modo moueatur. Quia vero inanimata propriam non habent animam, à qua moueri queant, sed semper ab alio, vti etiam paulo ante diximus, moueantur, tota nunc de illorum motu consideratio est silentio prætereunda. Corpus autem cæleste, quod animatum, & primum mobile est, ab animaque intelligente æterno motu in orbem torquetur, quomodo moueatur, & supremus motor illud moueat,[b] in duodecimo primæ philosophiæ libro definite explicatum est. Reliquum igitur nunc est, vt contemplemur, quo pacto, anima moueat animalis corpus, & à quo, tanquam à principio quodam ad eum moliendum motum alliciatur ipsa. Nam, si, cur animalia moueantur, nouerimus, etiam quamobrem inanimata moueantur, nobis plane notum erit. Animantia enim principium, et causa sunt, vt alia omnia moueantur, quæ vel non cientur cæ-

a p. de anima t. 61.

b 12. p. phſ. t. 34. 35. 36. 37 38.

a p. meteor, c. 4. *lorum conuersione,[a] vt ignis, & aer, & cætera huiusmodi, vel non agitantur alterius offensione, & impulsione, vt arborum frondes, & similia ventorum concussa impetu. Quocirca, cum ab animantibus moueri incipiant, finem aliquem omnium suorum motuum habeant, necesse est. Etenim animantium etiam motus aliquo semper terminantur fine. Omnia enim animalia alicuius adipiscendi gratia, quod vel bonum, vel apparens bonum sit, & ad se ipsa, & ad aliquid aliud mouendum excitantur. Quare illud, cuius gratia & mouent, & ipsa mouentur, finis, & terminus est cuiusque illorum motus.*

ARISTOTELES.

Videmus autem etiam mouentia animal, rationem, & sensum, & phantasiam, & electionem, & voluntatem, vel iram, & cupiditatem. Hæc autem omnia ad intellectum, & appetitum referuntur. Nam & phantasia, & sensus eundem obtinent locum, quem intellectus, omnia enim vi iudicandi valent; differunt autem secundum eas, quæ in alijs dictæ sunt differentiæ. Voluntas autem, & ira, & cupiditas, omnia sunt appetitus: electio autem commune rationis, & appetitus: quapropter etiam eligibile. Non omne autem rationabile est eligibile, sed, quod est agibilium finis. Quare huiusmodi è numero bonorum est mouens, sed non omne honestum. Quatenus.n. huius causa aliud, & quatenus finis est aliorum, quæ sunt

alicuius

alicuius causa, eatenus mouet. Oportet autem statuere etiam apparens bonum boni locum tenere, & iucundum, est enim apparens bonum. Quamobrem patet, quod est, quatenus similiter mouetur à semper mouente id, quod semper mouetur, & animalium vnumquodq;, est autem, quatenus aliter. Quapropter & illud quidem semper mouetur, animalium autem motus terminum habet. Honestum autem æternum, & verum, & prius bonum, & non modo bonum, modo autem non bonum, diuinius, & honoratius est, quàm vt sit aliud prius. Quod igitur primum est, mouet, & non mouetur, appetitus autem, & id, quod vi appetendi præditum est, mouet, & mouetur, vltimum autem eorum, quæ mouentur, non necesse est, vt moueat aliquid. Perspicuum autem ex his, etiam quod motus per locum iure in ijs, quæ fiunt, postremus est omnium, quæ fiunt; mouetur enim, & graditur animal appetitu, vel electione, postquam per sensum, aut per phantasiam quippiam fuerit alteratum.

ECPHRASIS XIII.

Quòd bonum, aut apparens bonum alliciendo, & excitando animam moueat

moueat animal, ex his, quæ modo expofuimus, conſpicuum, ni fallor, eſt. Qua vero ratione ab eo bono, ſeu apparente bono excitetur anima, deinceps conſiderare oportet. Quamobrem, cum bonũ, aut apparẽs bonum nullo modo ſuſcitare animã ad mouendum poſſet, niſi & cognitione quadam eſſet perceptum, & appetitu aliquo concupitum, neceſſe eſt, vt anima proprias vires tum cognoſcentes illud bonum, tum appetentes in mouendo adhibeat. Ex quo fit, vt videamus animal non ſolum ab aliquo bono, aut apparente bono, ſed etiam à ratione, ſenſu, phantaſia, electione, voluntate, vel ira, & cupiditate, moueri. Hæc autem omnia ſunt aut intelligendi, & cognoſcendi, aut appetendi, & concupiſcendi animæ facultates. Phantaſia enim,[a] quæ eſt motio exiſtens à ſenſu, qui in effectu fit, & ſenſus, qui[b] eſt facultas ſpecies rerum ſenſibilium recipiens, in eodem,[c] quo ratio, ſeu intellectus, locantur ordine. Hæc enim ſingula pariter & ad cognoſcendum, & ad iudicandum à natura tributa ſunt; diſtant tamen inter ſe, atq; diſcrepant iјs differentiјs, quæ in libris de anima ſunt expoſitæ.[d] Nam ratio in ſolis tantum hominibus eſt, & vera, & falſa eſſe poteſt, ſenſus autem & in omnibus ineſt animalibus, & in proprijs percipiendis ſenſibilibus nunquam falſus inuenitur. Phantaſia autem, quæ inter iſtas animæ vires tanquam media interiecta eſt, differt quidem à ſenſu, quia motus quidam eſt, qui à ſenſu in ſentiendo paritur, vt modo etiam diximus, à ratione autem facilè quoque diſtinguitur, quoniam phantaſia ita in noſtra poteſtate eſt, vt, quotieſcunque ad aliquid in nobis fingendum, quod aliquando ſenſu cognitum fuerit, ea vti velimus, quemadmodum pleriq; recordandi, ac reminiſcendi gratia faciunt, facere liceat, atque vera tunc, perfectaq; phantaſia ſit, ratio autem non ex poteſtate noſtra, ſed ex rebus ipſis, vt vera ſit, pendeat.[e] Si enim cognoſcendo cum rebus congruit, atque conſentit, vera, ſin autem diſſentit, ac diſcrepat, falſa eſt, neq; vlla noſtra facultate ad veritatem traduci poteſt. Voluntas autem, & ira, & cupiditas[f] tres ſunt ſpecies appetitus, quorum omnium nobiliſſimus cum voluntas ſit, in homine tantummodo eſt,[g] & cum ratione ſemper conuenit, ac conſentit, ira vero nonnunquam[h] præcurrere rationem, cupiditas autem plerunque exultans deſerere, atque negligere ſentitur. Itaque, cum ratio, & voluntas ita iunguntur, & copulantur,[i] vt vnum quiddam efficiatur, illud vnum electio appellari ſolet, & propterea & rationis, & voluntatis electio communis eſt, ex quo & illud, quod electioni tractandum, & agendum ſubijcitur, commune ſimiliter rationis, & voluntatis eſſe oportet, vt ratione cognoſci, volũtate autem appeti recte poßit. Nec vero omne, quod ratio-

a 2. de anima t. 161. lib. de ſomniis c. 1.
b 2. de anima t. 121.
3. de anima t. 38
c 2. de anima t. 151
d 2. de aĩa. t. 152. 153 154.
e 9. p. phĩſ. t. 21.
f 2. de anima t. 27.
3. de anima t 42.
g 3 de anima. t 42 50.
h 7. Eth. Nic. c. 6.
i 3. Eth Nic. c. 2
6. Eth. Nic c. 2.

rationi subijcitur, atque ad considerandum proponitur, ad electionem pertinere putandum est. Quod enim à ratione, vt duntaxat noscatur, comprahenditur, id nullũ tractationis vsum electioni prabet, quod vero non solum, vt noscatur, sed magis etiam, vt aliqua [a] tractetur actione, rationi obijcitur, & eorum, qua aguntur, finis est, hoc electionis maxime proprium haberi debet. Quapropter istiusmodi de bonorum numero est, quod, dum noscitur, simul & appetitur, in excitanda anima mouet animal, non autem honestum omne, quod graci καλὸν appellãt, quod mentis solum contemplatione attingi sine actione vlla potest. Hoc enim ita mentis sagacitate seorsum, & per se in contemplatrice scientia inquiritur, atque consideratur, vt in eo inquirendo, & considerando nullum aliud illius gratia aut fiat, aut sit, in quo actio aliqua, & motus appareat, aut ad ipsum, tanquam ad finem [b] referatur, atque dirigatur, illud autem, quod bonum vocamus, tametsi etiam ipsum simili modo considerari potest, tamen, quia plerunq;, tanquam aliorum finis ab electione tractatur, ideo quatenus illius causa tunc quippiam aliud est, & quatenus ipsum existit finis aliorum, qua alicuius gratia sunt, & voluntate expetitum, & ratione cognitum, mouet ad agendum animal: sed cum [c] veritas multis obstructa difficultatibus in occulto lateat, hominisq; mens ad eam perspiciendam sit admodum hebes, fit, vt plerique homines falsa ducti opinione rem aliquam malam pro bona habere, eamdemque studiose appetere, & iccirco ad agendum excitari, atq; moueri soleant. Quare non solum à vero bono, sed etiam [d] & ab apparente bono, & à iucundo, quod maximam in prasentia similitudinem, ac speciem veri boni pra se fert, moueri animal statuere oportet. Quamobrem hac omnia bene intuenti licet facilè intelligere, corpus caleste, quod sempiterna conuersione ab aterno motore cietur, & vnumquodq; animal, dum à se mouetur, tum simili, tum dissimili quadam ratione moueri. Corpus enim caleste per propriam intelligentem animam semper appetendo, & intelligendo id, quod verissimum, simplicissimum, & summum bonum est [e] (cum tamen [e] in diuinis idem sit appetere, & intelligere,) aterno mouetur tempore. Cum igitur animal veri boni cognitione, & appetitione ad agendum ducitur, tum simili quidem modo, vt caleste corpus, cum autem vel apparentis boni, vel iucundi cognitione & appetitione, tum certe dissimili mouetur modo; quia fines, quorum gratia vtrumque mouetur, nulla tunc inter se similitudine iunguntur. Quocirca calum, quod summum illud optimum, quod nulla vnquam mutatione variatur, eodem semper modo intelligit, & appetit, aterno etiam versatur motu: & animalium

a 3. de aĩa t. 51
b 3. phĩc t. 3 13. p. phiæ c. 3.
c 2. p. phĩc t. 2
d 3 Eth. Nic. c 4 2. ph. t. 31 3. de aĩa t. 53
e 12. p phĩc t. 36.

malium, quæ modo vnum, modo aliud, vel bonum, vel apparens bonum, vel iucundum cognoscendo, & appetendo persequuntur, motus omnes, qui perpetuari non possunt, finem aliquem habeant, necesse est; illud autem æternum honestum, & verissimum, atque supremum bonum, quod idem semper est, ita diuinum, atque honoratum existit, vt, cum semel cognitum vere est, nequaquam illius cognitio, atque appetitio, quo alia rei potioris, ac præstãtioris, quæ nullo pacto dari potest, habeatur, respui, ac repudiari queat. Constat igitur primum mouens animal, quod est aut bonum, aut apparens bonum, aut iucundum, cum ab animali seiunctum sit, sic, dum cognoscitur, & expetitur, mouere animal, vt ipsum minime

a 3. de aĩa. t. 49.50.52. moueatur; appetitus autem, [a] qui est præcipua animæ ad mouendum

b 3. de anima t. 54. virtus, (quia [b] in appetendo motio quædam fit,) & ingenitus etiam spiritus, in quo viget appetitus, mouendo mouentur; vltimum vero eorum, quæ mouentur, quod est animal, dũ mouetur, non necessario mouet aliud, sed tamen mouere potest. Atq; ex his palam est, quòd motus per locum

c 8 ph. t. 58. recte in ijs, quæ generantur, & fiunt, [c] postremus eorum est, quæ fiunt, & generantur. Nam animal vel appetitu aliquo, vel electione excitatum

d lib. de memoria & reminiscentia c. 2. mouetur quidem, & graditur, si tamen in ipso prius aliquid per sensus, dum species recipiuntur sensibiles, aut per phantasiam, dum eædem in sensu communi formantur, [d] aut informatæ per memoriam, tanquam renouantur, immutatum, & aliqua affectione variatum fuerit.

ARISTOTELES.

Quomodo autem intelligens quandoq; agit, quandoque autem non agit, & mouetur, quandoque vero non mouetur, videtur autem æque euenire, atque ijs, qui de immobilibus considerant & ratiocinantur? Sed illhic quidem contemplatio finis est, cum enim duas propositiones intellexerit, conclusionem intellexit, & composuit. Hic autem ex duabus propositionibus conclusio fit actio, vt cum intellexerit, quòd om

ni homini ambulandum eſt, ipſe autem eſt homo, ambulat ſtatim; ſi autem, quòd nulli homini nunc ambulandum eſt, ipſe autem eſt homo, confeſtim quieſcit, & hæc ambo agit, niſi quid prohibeat, aut cogat. Faciendum eſt mihi bonũ, domus aũt bonum eſt, ſtatim efficit domũ. Tegumento indigeo, veſtimentũ eſt tegumentũ, veſtimento indigeo. Quo indigeo, faciẽdum eſt, veſtimento indigeo, veſtimentũ eſt faciendum, & concluſio, veſtimentum eſt faciendum, actio eſt, agit aũt à principio, ſi veſtimentum erit, neceſſe eſt eſſe, quod eſt primum; ſi aũt hoc, hoc, & hoc agit ſtatim. Quòd igitur concluſio eſt actio, patet. Propoſitiones aũt ad effectionem attinentes per duas fiunt ſpecies, & per bonum, & per poſſibile. Quemadmodum autem interrogantium quidam, ſic alteram propoſitionem notam neque ratio inſiſtens aliquo modo conſiderat: vt ſi ambulare bonum eſt homini, quòd ſit homo, in eo non immoratur. Quare & quæcumque alia agimus nulla adhibita ratiocinatione, celeriter agimus. Cum enim vel ſenſus, vel phantaſia, vel intellectus actionẽ ad id admouerit, quod eſt cuius gratia, ſtatim, quod appetit, efficit; pro

interrogatione enim, aut intellectione opus appetitus efficitur. Bibendum mihi eſt, cupiditas ait, iſthuc autem aptum eſſe ad bibendum ſenſus dixit, vel phantaſia, vel intellectus, illico bibit. Sic igitur ad ſe mouendum, & ad agendum excitantur animalia, cum extrema quidem cauſa, qua mouentur, ſit appetitus, is autem vel per ſenſum, vel per phantaſiam, vel per intellectionem fiat. Cupientium autem agere alia propter cupiditatem, aut iram, alia propter appetitum, vel voluntatem quædam quidem faciunt, quædam autem agunt.

ECPHRASIS XIIII.

Quomodo aut à bono, aut ab apparente bono, aut à iucundo quorum cauſa motus animalis & incipit, & deſinit, anima concitetur ad mouendum, expoſitum iam eſt. Cum autem homo vnam, eamdemq́; intelligendo rem modo moueri, & agere poſſit, & re ipſa moueatur, & agat, modo autem neque agat, neq; moueatur, ſed ſimiliter ſe habere videatur, atq; ij, quorum contemplatio in mathematicis, [a] quæ ab omni tum motu, tum actione libera ſunt, verſatur, nequaquam talis differentiæ, atque diſcriminis cauſam hoc loco tacitam eſſe prætereundam putamus. Cum igitur homo ad vnius eiuſdemque rei naturam ſolum cognoſcendam ratione ſeparatim ab omni appetitu interdum vtatur, interdum autem ad illam ipſam adipiſcendam adhibeat coniunctim & rationem, & appetitum, fit, vt in vna & eadem re conſideranda aliquando neque agat, neq; moueatur, aliquando autem & agat, & moueatur. Nam illhic, vbi ſola rei cognitio quæritur, contemplatio, [b] quæ, quantum fieri poteſt, omnem refugit motum, finis eſt. Cum enim duas ratiocinando nouerit propoſitiones, concluſio ſtatim ſine vlla actione, vel motu & intellecta erit, &

a 3. p. phiæ. t. 3. 6 p. phiæ t. 2 13. p. phiæ. c. 3.

b 7. ph. t. 20. p de anima, t. 48.

ueceſſa-

necessario illas sequetur propositiones. Hic vero, vbi ad cognitionem actio quædam propter appetitum adiungenda est, ex duabus pariter propositionibus colligitur ex necessitate quidem conclusio, sed, quæ tota in actione aliqua consistat, vt exempli gratia cum quispiam intellexerit omni homini ambulandum esse, & se esse hominem, confestim sequitur conclusio, siue finis istius ratiocinationis, vt ei ambulandum sit, quod actio, & motus quidam est; sin autem nulli homini nunc ambulandum, ipsum vero esse hominem, statim fit, vt ei quiescendum sit, & quiescit. Hæc autem ambo, quæ sunt fines, qui ex rationis agitatione expetendi esse videntur, homo statim persequetur, nisi aliquo modo prohibeatur, aut aliter facere cogatur. Similiter etiam eueniet, quando conclusio non actio, sed effectio quædam erit, vt si quis domum sibi ædificandam esse ex tali ratiocinatione constituerit: bonum mihi efficiendum est, domus est bonum, ergo domum illico efficere aggreditur. Quòd si alicuius ratiocinationis conclusio non esset actio, aut effectio, sed tamen ad actionem, aut effectionem spectaret, talis ratiocinatio, quæ prosyllogismus græce appellari solet, alia sibi consequentem ratiocinationem, cuius conclusio sit actio, aut effectio asciscere omnino debet; vt si dicerem. Tegumento indigeo, tegumentum est vestimentum, ergo vestimento indigeo. Quia vero vestimentum faciendum, atque conficiendum est, altera continens in conclusione vestimenti confectionem annectenda erit huiusmodi. Quo indigeo conficiendum est, id, quo indigeo, est vestimentum, ergo vestimentum conficiendum est. Ac conclusio, quòd vestimentum est faciendum, operatio est; cuius quidem operationis, siue actionis initium semper ab eo, quod primum est, fieri oportet, vt si vestimentum est, prius esse pannum necesse est, si autem pannus, primum lanam in filum contortam, & hanc efficere orditur statim. Quòd igitur conclusiones, quæ ex talibus eliciuntur connexis propositionibus, actiones sunt, perspicuum est. In quo neque id nos fugere debet, propositiones, quæ actionem, aut effectionem aliquam in conclusione pariunt, ex duobus rerum generibus, & ex eo videlicet, quod bonum est, & ex eo, quod fieri potest, sumendas, atque constituendas esse. Nam & res ipsas vel bonas, vel apparentes bonas esse, vt earum appetitione animal ad agēdum excitetur, & moueatur, & de ijs existere, quæ possunt fieri, vt actio, & effectio tum institui, tum perfici queat, necesse est. Cum autem commemoratæ conclusiones, quæ in aliqua penitus implicatæ, aut actione, aut effectione insident, ex perfectis ratiocinationibus existant, nequaquam ignorandum est, quòd etiam ex imperfectis mens nostra conclusiones similes ijs sæpenumero

colligere solet. Namque, vt quidam in disputando interrgantes omissa vna propositione nota, ex altera solum enthymematice conclusionem inferunt, sic ratio nullam adhibens, atque ponens considerationem in altera propositione, quæ per se conspicua sit, ex altera tantum conclusionem eliciens continuo se ad actionem confert; vt si homini bonum esset ambulare, nihil in eo, quòd ipse homo sit, commoratur, ac retinetur, sed statim ex illa sola priore propositione conclusionem arripiens ambulat. Quapropter & quæcunque alia sine aliqua rationis agitatione facimus, celeriter, ac nulla interposita mora facimus. Cum primum enim vel sensu sentiendo, vel phantasia cogitando, vel intellectu, seu ratione intelligendo perceperit illud, cuius gratia actio est suscipienda, statim operam dat, vt id, quod per illam expetit cognitionem, efficiat, & consequatur. Cum enim nulli neque percunctationi, neq; cognitioni amplius locus sit, opus tantummodo ipsius appetitus persequitur. Quod quidem, vt planius intelligatur, tali sit illustratum exemplo. Instat cupiditas, vt bibam mulsum, ex sensu autem, aut ex phantasia, aut ex ratione hoc esse mulsum, & idoneum ad bibendum noui, prætermissa igitur omni inquisitione, atque sciscitatione de ipso mulso, quod iam mihi notum est, statim inseruiens cupiditati bibo. Hoc igitur modo viribus animæ tum cognoscentibus, tum appetentibus aliquid & ad se mouendum, & ad agendum excitantur animalia, in quibus proxima, & extrema causa, quæ mouet, & simul mouetur, appetitus est in spiritu ingenito defixus, vt supra diximus, & aliquanto post sumus denuo dicturi, qui, quia nihil expeti potest, quin prius cognitum habeatur, necessario vel per sensus, vel per phantasia, vel per rationis cognitionem suscitatur, & constituitur. Atqui animalium, quæ ipso appetitu ad aliquid, aut agendum, aut faciendum ducuntur, alia solum cupiditate, vel ira, vt belluæ, alia, vt homines interdum iisdem, quibus etiam belluæ, appetitibus, interdum voluntate, quæ semper rationi iuncta est, ad quippiam vel agendum, vel faciendum concitari solent.

Quæstio, vtrum homo natura ita liber sit, vt arbitrio suo bonum, & malum deligere, ac persequi possit.

EX his, quæ paulo ante, & quæ proxime declarata sunt, cognouimus, quòd animal tum cognoscendo, tum simul in primis appetendo ad aliquid agendum mouetur; in quo si voluntas, quæ est nobilissimus appetitus,

titus, iungatur cum ratione, conficitur electio, quæ est principium,[a] quo homo est perfectus homo, & ad agendum suo iuditio, atq; consilio aptus constituitur. Est enim electio[b] vel intellectus appetitiuus, vel appetitus intellectiuus, vel, vt plenius dicamus,[c] appetitus consultatiuus eorum, quæ in nostra sunt sita potestate. Ex quo extat, & apparet, electionem liberam atque sui iuris esse, et proptcrea sequitur, vt etiam homo ad deligendum suo arbitrio, & persequendum vel bonum, vel malum solutus, ac liber sit Veruntamen, quia inter homines versatur opinio, quæ huic sententiæ plane repugnat, & aduersatur, nobis in præsentia faciundum esse duximus, vt ea de re in contrarias partes peripatetice sic disputemus, vt ab vtra parte veritas stet, nobis compertum sit. Quæremus igitur, an homo per electionem ita liber, ac sui iuris sit, vt arbitrio suo vel bonum repudiato malo, vel malum prætermisso bono sine vlla necessitate deligere, & quantum in se est, persequi poßit. Primum igitur, quòd per electionem neque liber, neque sui iuris sit, talibus rationibus probari posse videtur. Quod potest esse in alterius potestate, non est natura liberum, neque sui iuris, electio, in qua ratio continetur, potest esse in cupiditatis potestate, ergo electio, siue homo per electionem neq; liber natura, neque sui iuris est; quia electio, eius principium in potestate cupiditatis, quæ non hominis propria, sed[d] communis cum belluis est, cum à ratione deficit, esse potest, & plerunque est. Quòd autem id, quod potest in alterius potestate esse, neque liberum natura, neque sui iuris sit, cum & per se pateat, &[e] philosophi authoritate comprobetur, nequaquam declaratione, aut probatione egere videtur. Quòd vero electio sæpe in cupiditatis potestate repugnanter teneatur, illiusq; arbitrio regatur, quisq; tum in se experiri, tum crebro in aliis animaduertere, tum authore[f] philosopho ratum habere potest. Quare altera talis affertur ratio. Quod potest ab aliquo contrario, & aduersario vinci, sui iuris natura non est, sed potest ad aliquid cõtra propriam naturam cogi, electio potest à cupiditate, contrario appetitu vinci, ergo electio natura sui iuris non est, sed potest contra propriam naturã cogi. Quòd aũt illud, quod à contrario vincitur, ab eodem quoq; cogatur, planũ quidem est, quia ducitur, & afficitur natura & arbitrio contrarij. Quòd itẽ electio, in qua est voluntas, vincatur interdum, & subigatur à cupiditate, & testatũ, vt ante diximus, reliquit philosophus, & vsu nobis sæpe venire sentimus. Ex quo tertia itẽ additur ratio huiusmodi. Si electio natura esset libera, & sui iuris, semper esset talis, quia vero, vt supra docuimus, nõ est semper talis, ideo dici posse naturaliter libera non videtur, & sui iuris.

Omne

a 6. Eth. Nic. c.2.
b 6. Eth. Nic. c.2.
c 3. Eth. Nic. c.3.
d 2. de anima t.20. 27. 3 de aĩa t.42
e p polit. c.3.
f 7. Eth. Nic. c.6. 3 de anima t.50. 53. 57.
g p. polit. c.4. p de generatione, & corrupt. t 51. 2. de generatione & corruptio t.25.

a p.poſt.t 44. 2.ph t.5. 5.p.phiç t.6 *Omne enim, quod eſt[a] ſua natura tale, per ſe eſt, quod autem eſt per ſe, neceſſarium, atq; ſempiternum eſt. Poſtremo igitur idem etiã hoc modo oſtenditur. Si electio arbitratu ſuo non poteſt eligere, & non eligere bonum, aut apparens bonum cognitum, ſed neceſſario illud eligit, & vult, nullo certe modo libera debet haberi; quia id, quod vere liberum eſt, arbitrio ſuo poteſt rem quamlibet agere, & non agere. Si enim horum alteri ſic addictum eſſet, vt non poſſet illud non exequi, non ſolutum, ac liberum, ſed aliqua neceßitate aſtrictum iure putaretur. Nam illud neceſ-*

b 5.p.phiç t.6 12.p phiç t. 38. *ſarium in primis dicitur, [b] quod vt aliter ſe habeat, minime contingit. Quòd autem electio non poßit non velle bonum, aut apparens bonum, cum illud nouerit ex eo intelligi facile poteſt, quod propria electionis*

c p.Eth. Nic. c.1.4. *actio eſt ratiocinando appetere, ſeu velle; [c] omnis vero appetitus, atque voluntas eſt boni, aut apparentis boni, ſiquidem omnia, quod bonum eſt, appetunt natura, & perſequuntur. At, ſi quis appetere, ac velle malum aliquod videretur, non malum quidem illud, ſed bonum, aut apparens bonum, quod illi malo & adiunctum eſſet, & ipſe etiam anteferret, appetere, ac velle cenſeri deberet. His igitur, & alijs fortaſſe ſimilibus rationibus electio neque natura libera, neque ſui iuris, ſed cogi poſſe contra propriam naturam exiſtimaretur, &, quia eſt principium hominis, ſimiliter homo neque liber natura, neque ſui iuris, ſed contra propriã voluntatẽ poſſe ſimiliter cogi putaretur. Quamobrem, quæ etiam pro contraria poſſunt afferri parte, videamus, & explicemus. Ac primum iſtud ſit argumentũ. Quod eſt natura ſibi ipſi finis, liberum, & ſui iuris eſt, neq; præter propriam naturã cogi poteſt, electionis actio natura eſt ſibi ipſi finis, ergo electionis actio natura eſt libera, ſui iuris, nec præter propriam naturam cogi poteſt. Quòd autem id, quod natura eſt ſibi ipſi finis, ſit liberum, ſui iuris, neque præter propriam naturam cogi poßit, facile perſuaſum erit, ſi pro comperto habebitur, finem eſſe, ad*

d 2.ph.t.29.31 3.p.phiç t 3 e 4 ph t. 23. *quem [d] referuntur omnia, & cuius gratia omnia fiunt & aguntur, & in quo, [e] quaſi continentur omnia. Vnde elicitur, vt, quod natura eſt ſibi ipſi finis, totum ad ſe referatur, omneſq; illius actiones ſint eiuſdem met gratia, neq; alio conuerti queant, ac totum ex ſe aptum ſit, & pendeat. Hoc autem quis negaret liberum natura, & ſui iuris eſſe, nec vlla ratione contra propriam naturam cogi poſſe? Quòd vero electionis actio*

p. Eth Nic. c.1. 9 p phiæ. t. 11. q deeſt in Auerroe & t.16. *natura ſit ſibi ipſi finis, palam erit, ſi nobis conſtiterit, duo eſſe actionum genera, vnum illarum [f] quæ imperfectæ ſunt, & ſuum habent finem à ſe diuerſum, atque diſtinctum, vt ædificationis ædificium, & agricultionis ager cultus, vterq; finis ab vtraq; actione diſtinctus. Alterum earum,*

quæ

quæ, quia ipsæ sibi ipsis fines sunt, perfectæ omnino existunt, ac propter suam perfectionem in eo ipso, cuius sunt actiones, & à quo exoriuntur, manent, ac versantur, nec in aliud transferri, atq; desinere possunt; cuiusmodi est visio, auditio, et aliæ similes, quarum finis earumdem vsus est. Nam visionis nullus est alius, nisi videre, & auditionis nisi audire finis, in eoq; ipso, qui videt, & qui audit, quia ipsum perficiunt, permanent, atque consistunt. Itaque, cum electionis actio sit ratiocinari, simul & velle, nullumque aliud, præterquam istius actionis vsus, extet opus, dubitandum profecto non est, quin talis actio sibi finis, & perfecta sit, & propterea etiam, quin in ipsa electione maneat, nec in aliud traduci, atque desinere possit. Nec vero ita hoc accipi volumus, quasi non oporteat existere aliquid, quod ratiocinando, siue consultando appetat electio, sed, quòd illius actio nullum extra se efficiat opus, cuius absolutione, ipsa quoque desinat, & finiatur. Quare, cum appareat electionis actionem esse sibi ipsi finē, perfectā, & in ipsa permanere electione, erit certe natura libera, sui iuris, neque contra propriam naturam cogi poterit. Hinc secundum etiam adducitur argumentum. Si electionis actio vi aliqua posset cogi, violenta esset, si autem violenta,[a] illius principium extrinsecus omnino extaret, id, si contingeret, non ab electione, sed ab aliquo proficiscens extraneo in electione maneret, ac desineret, sicque prorsus imperfecta esset. Quod cum fieri non posse demonstratum sit, dicendum videlicet non est, quòd electionis actio præter propriam naturam cogi aliquo modo queat. Huc igitur tertium accedit argumentum. Quod est sui ipsius, & non alterius gratia, natura liberum, atque sui iuris est, electionis actio sui ipsius, & non alterius gratia est, ergo natura electionis actio libera, atq; sui iuris est. Quòd autem illud sit natura liberum, atq; sui iuris, quod est sui ipsius, & non alterius gratia, cum philosophus tanquam[b] ab omnibus concessum assumpserit, id nobis quoque ratum esse, ac firmum maxime conuenit. Quòd vero electionis actio sit sui ipsius, & non alterius gratia, non solum constat, quia est sibi ipsi finis sed multo etiam magis, quia propter nullam aliam animæ actionem esse electionis actio videtur. Nam si esset, aut propter cognitionem aliquam, aut propter appetitionem esse eam oporteret, at electionis cognitio nequaquam propter vllam aliā cognitionem esse potest; quoniam vel propter sensum, vel propter phantasiam necessario esset,[c] sed sensus ipse propter phantasiam,[d] phantasia autem propter intellectum, seu rationem, quæ in electione includitur, est: multo minus eiusdem appetitio propter iram, uel cupiditatem esse existimari potest, propterea quòd appetitio

a 3. Eth. Nic. c.1.

b p p phys c.2

c 2. de anima t 161 lib. de somnis c. 1

d 3. de anima t 32. 39.

petitio voluntatis, quæ ipsi electioni inest, semper rationi paret, atque
a 7.Ethic. Nico, c.6 *obtemperat, ira vero sæpe, tanquam non* [a] *attendendo præcurrit rationem, cupiditas aũt* [b] *quasi repugnando eidẽ aduersatur, & cõtraria est.*
b 7.Ethic. Nico. c. 6. *Quamobrem, si nulla est alia aut præstantior animæ appetitio, aut superior cognitio, quæ in aliqua versetur actione, ad quas electionis actio referri poßit, relinquitur, vt sui ipsius & non alterius gratia, & propterea etiam libera, & sui iuris sit electionis actio. Quapropter id ipsum quarto item argumento nobis magis confirmatum, atq; corroboratum sit, cuius quidem argumenti prosyllogismus is est. Quod habet agendi facultatem cum ratione iunctam potest vtrumq; contrarium, hoc est, agere, & non agere, electio habet agendi facultatem cum ratione iunctam, quia ex voluntate, & ratione constituta est, ergo electio potest vtrumque contrarium, id est, deligere, & non deligere aliquid aut bonum, aut malum. Quòd autem habens agendi facultatem cum ratione*
c 9.p.phĩæ t.3 10. *coniunctam poßit vtrumque contrarium, copiose* [c] *in libro primæ philosophiæ nono declarauit philosophus. Quare proprius deinceps conficiatur hoc modo syllogismus. Quod potest vtrumque contrarium, liberum est, electio, vt ex prosyllogismo constat, potest vtrumque contrarium, ergo electio libera est. Quòd autem illud, quod potest vtrumque contrarium, liberum sit, ex eo compertũ esse volumus, quòd facultatem habens ad vtrumque contrarium, cum non poßit ambo simul agere, necesse est,*
d 3.Ethic. Nico. c. 3 9. p. phĩæ t. 10. *vt* [d] *ab aliquo proprio, atque intimo principio decernatur, et inclinetur ad alterutrum ipsorum contrariorum agendum; sed hoc modo cieri, atq; ad aliquid* [e] *à se destinari, liberum ac voluntarium est: opponitur enim*
e 3. Eth. Nic. c.1. *violento, quod externo aliquo principio, & neceßitate cogitur. Quocirca, si electio, seu appetitus rationi iunctus est intimum principium, quo homo libere decernit, & statuit, vtrum duorum contrariorum sibi agendum sit, ea ipsa profecto electio maxime libera est. Quòd igitur electio, siue homo per electionem natura liber, ac sui iuris sit, nullaq; neceßitate cogi poßit, quisque persuasum his argumentis habere potest. Cum autem superiores illæ rationes hanc ipsam veritatem euertere, ac tollere videantur, eas singillatim excutiamus, &, quantum quæque virium habeat, consideremus. Nam in prima fuit assumptum electionem posse in cupiditatis potestate esse; hoc porrò falsum esse ex his, quæ supra tradidimus intelligere licet. Quod enim contra propriam naturam in alterius potestate esse potest, eius actio principium extrinsecus habeat, necesse est, quia illius nutu, & arbitrio, in cuius potestate est, violenter agit, & mouetur, istud autem non posse ipsi electioni, cuius actio, cum de*

numero

numero perfectarum,& in se manentium sit,ab interiore semper profici-scitur principio,euenire,plane declaratum est. Quàm vero rectè fuerint in hanc sententiam philosophi authoritates adductæ, mox videbimus, nunc interea secundam persequamur rationem,in qua positum est, electionem,in qua ratio inest,interdum à cupiditate vinci,eique subijci.Id autem falsum esse dicimus, quia sequeretur,vt electio,quæ est vna, non esset vna, & sibi ipsi interitum moliretur.Nam,cum plerumque [a] cupiditas contraria sit rationi; si tunc in illius potestate teneretur electio,& illius arbitrio ageretur,opus esset,vt electio sibi ipsi contraria existeret, & quia contraria semper [b] & plura sunt, [c] & se mutuo interimunt, etiam electio tum plura esse, tum se ipsam interimere omnino deberet. Isthuc autem quàm ab instituto naturæ abhorreat, nemini, qui vel mediocriter in philosophia sit versatus,obscurum esse arbitror. Itaq;,quomodo nonnunquam electio à cupiditate (quod reuera fatendum est) vincatur,& tamen in illius potestate non sit,hinc perspectum nobis esse velim,quòd non omnis semper contentio,atque certamen est alicui cum altero de vnius in alterum imperio,ac potestate,quæ nullo præsertim pacto esse queat, sed de potiunda sæpenumero re aliqua, quæ obtineri ab vtroq; posit. Ita inter rationẽ,quæ in electione est, & cupiditatem non de mutuo dominatu, qui vt supra declaratum est,dari nequit, sed de occupatione & hominis rectione certamen aliquoties est.In eo igitur certamine,atq; contentione interdũ electionem vinci à cupiditate,& à regendo homine moueri, atque repelli concedendum quidem certe est,non tamen propterea sequi, vt ad aliquam alienam actionem electio cogi contra propriam naturam posit. Id quod cum philosophus præclare intellexisset,diuinißime expreßit hoc modo inquiens.[d] Appetitus autem vincit quandoque & mouet voluntatẽ,quandoq; autem illa hunc,tanquam sphæra appetitus appetitum,cum incontinentia facta fuerit. Vt enim in lusione pilæ si sphæra,seu pila vehemẽtius emissa feriret alteram pilam, cuius emißio leuior,atq; remißior esset,eam pelleret,ac retorqueret, sic in homine, in quo incontinentia viget, cùm cupiditas rationi repugnans sit feruentior, atq; vehementior,quàm voluntas,quæ in electione comprahensa est, vincit quidẽ, & expellit voluntatẽ, seu electionem ab hominis rectione,ac moderatione,nec tamen propterea efficitur,vt electio, quia eius repugnaret naturæ,vllo modo sit in cupiditatis potestate. At cupiditas,quoniã ipsius naturæ maxime congruens est,vt à ratione regatur;in homine bene instituto naturaliter electioni, quæ præstantior est, subijcitur,atq; in eiusdem potestate tenetur. Illas igitur philosophi authorita-

a 3. de anima t.50.53.
b 5. p. phíæ t. 16
10. p. phíę t. 14
c p de generatione,& corruptiõe t.51
10 p phíę t. 16.
d 3. d aĩa t.57.

thoritates, quæ adductæ fuerunt, si recte hoc modo acceptæ, & interpretatæ erunt nihil contra veritatem facere constabit. Ex quarum quidem recta interpretatione falsitas quoq; tertiæ rationis sua sponte ruere videtur. Ibi .n. asserebatur, electionem non esse semper liberam, quia posset aliquando in cupiditatis potestate esse. Quare illud tantum relinquitur, quod quarto, & postremo fuit loco sumptum, electionem non esse liberam, quia non potest suo arbitrio eligere, & non eligere bonum cognitum, sed necessario illud vult, & eligit semper. Hoc autem quàm à vero sit remotum, atq; alienum, assiduus, & quotidianus vsus admonere nos facile potest. Cum enim duo nobis oblata, atque proposita bona simul cognoscuntur, quorum vnum tunc honestius, & præstabilius altero sit, ita potest electio velle, & deligere vnum, vt nolit, atque negligat alterum. Quòd si facta temporis, aut loci mutatione ista quoq; bona commutarentur, vt quod minus est, magis euaderet bonum, contraque quod magis est, minus efficeretur, etiam deligendi, & volendi mutatio in electione pariter fieret. Ex quo falsum esse, quòd electio non possit eligere, & velle, & non eligere, & non velle bonum cognitum, perspicuum est. Si vero vnum tantum omni splendore, atque decore cumulatum obijceretur bonum, actione parabile, quod tale esse, exploratissimum electio haberet, sua quidem sponte, atque natura electio vellet, & eligeret, neque (fatendum est enim) posset non velle, ac deligere illud, neque tamen propterea libertatem electioni esse detractam, & ereptam putandum est, quandoquidem secundum propriam agere naturam summa libertas est.[a] Omnis enim cognitio, & electio bonum naturaliter per se appetere videtur. Solutis igitur, ac reiectis contrarijs rationibus stabile, atque firmum remanet, electionem natura liberam, & sui iuris, neque vlla necessitate cogi posse. Vnde homo, in quo electio viget, natura sui iuris est, summamq; bene, aut male agendi suo arbitrio libertatem obtinet, cuius etiam si corpus capiatur, & constringatur, nulla tamen necessitate eiusdem electio, ex qua hominis[b] propria existit actio, quæ animæ est, non autem corporis, cogi potest.

a p Eth. Nic. c. 4.

b p. Eth. Nic. c. 5.

ARISTOTELES.

Quemadmodum autem ea, quæ cientur sua sponte, mouentur, si paruus fiat motus, dum compages soluuntur, & dum illa impingunt

compa-

compages inter se, & vehiculum, quod quidem ipsum vehens mouet recta, & rursum in orbem mouetur eò, quòd inæquales habet rotas, (minor enim, tanquam centrum fit,) velut in cylindris, sic & animalia mouentur; habent .n. instrumenta talia, & neruorum naturam, & ossium. Hæc enim, vt ibi ligna, & ferrum, nerui autem, vt compages; quæ cum soluuntur, & laxantur, mouentur. In ijs igitur; quæ sua sponte cientur, & in vehiculis non est alteratio; quoniam si fierent minores rotæ interiores, & rursus maiores, etiam idem in orbem moueretur. In animali autem potest idem & maius, & minus fieri, & figuræ mutari, dum augentur particulæ propter calorem, & rursus contrahuntur propter frigus; & alterantur. Alterant autem phantasiæ, & sensus, & notiones. Sensus enim statim alterationes quædam existunt, phantasia autem, & intellectio vim rerum habent. Quodam enim modo species, quæ intelligitur, calidi, vel frigidi, vel iucundi, vel terribilis existit talis, qualis & rerum est vnaquæque: Quare & horrent, & timent, cum solum intellexerint. Hæc autem omnia affectio-

nes, & alterationes sunt. Eorum autem, quæ alterantur in corpore, alia maiora, alia minora fiunt. Quòd autem parua mutatio, si fiat in principio, magnas, & multas procul efficiat differentias, obscurum non est, vt si clauus tantulum moueatur, magna proræ motio fit: & item secundum calorem, vel frigus, vel secundum aliam huiusmodi affectionem, cum enim facta fuerit alteratio circa cor, etiam si in ipso in particula, quæ secundum magnitudinem vix sentiri posit, multam efficit corporis differentiam ruboribus, & palloribus tum horroris, tum tremorum, tum eorum, quæ talium contraria sunt.

ECPHRASIS XV.

Quòd anima, vt principium efficiens motus per proprias tum cognoscendi, tum appetendi vires moueat corpus, quòd item ipsa ad mouendum excitetur à bono, quod actione aliqua parari posit, cognito, et expetito, aperte declaratum, & expositum est. Nunc autem & quæ particulæ, tanquã præcipua, & necessaria instrumenta sint, quibus animal ad se mouendũ vtatur, et quo pacto partes corporis aptæ, habilesque ad ipsum motum reddantur, consequitur, vt similiter ostendatur & aperiatur. Itaq; primum, quæ sint corporis necessaria ad mouendum instrumenta, hac similitudinis collatione nobis ante oculos ponatur. Nam, vt horologia, & simulacra quædam ludicra sua sponte à se moueri cernuntur, modo in eis initiũ vel perexiguũ motus extrinsecus fiat, dũ cõpages, & quasi vincula laxantur, atq; soluũtur, & ea laxatione, ac solutione machinæ ipsæ, vsq; eò oẽs deinceps cõpages impellunt, & agitant, dum to-

tæ ex se se moueri conspiciuntur, itemq́; vt vehiculum, cuius rota ex altera parte minor sit, neque ab equis trahatur, sed à vehente aliquo modo agatur recta, & impellatur, rursus propter rotarum inæqualitatem ipsum à se in orbem agitur, siquidem minor rota, tanquam centrum efficitur, quemadmodum in cylindris, qui dato aliũde motionis principio ipsi facili volubilitate versantur, sic nimirum etiam animalia moueri à se putanda sunt. In ipsis enim similia quædam ad motum maxime apta instrumenta sunt naturaliter constituta, qualis est ossium, & neruorum natura. Vt.n. machinæ illæ ferro, & lignis sustentantur, compagibus autem, & vinculis constrictæ tenentur, illorumque laxatione, ac solutione mouentur, sic animalium[a] corpora constituta molli, ac tenera carne, ossiumque[b] duritia, atque soliditate fulta sustinentur, [c] & neruorum implicatione, ligationeque ad omnes artus, ac commissuras singillatim iuncta cohibentur, [d] & eorundem intentione atque remissione mouentur. Quapropter neque in ijs, quæ sua cientur sponte, neq; in vehiculis vllum ingenitum inest mutationis, atque alterationis principium, sed quicquid eiusmodi eis accidit, extrinsecus semper necessario accidit; quoniam, si ex se, atque ex propria, interiorcque natura rotæ modo minores, modo rursus maiores fierẽt, etiam in orbem idem vehiculum moueri per se posset. At in animali[e] innatus spiritus inest aptissimus, qui ex intimo principio idem & maior, & minor efficiatur, ex quo etiam figuræ in corpore mutãtur, & ex rectis, & rotundis inflexæ, & angulatæ redduntur, dum corporis particulæ natiuo calore augentur, & rursus frigore contrahuntur, vicissimq́; diuersis qualitatibus afficiuntur. Quòd autem & calore amplificationem partium, & frigore rursus contractionem fieri naturalis necessitas cogat, ex eo patere potest, quòd vniuscuiusque animalis, quod carnem habeat, [f] corpus ex subditis ossibus, & carne constat, caro aũt tota[g] contextu venarum sanguine refertarum conflatur, [h] cuius quidem sanguinis ea natura est, vt frigore concrescat, atque conglatiet, & propterea contrahatur, contra vero, calore tepefactus liquescat, & diffundatur, ob eamq; causam dilatetur, & crescat. Hanc aũt sanguinis dilatationẽ, & cõtractionẽ necessario partiũ tum accretio, tũ diminutio, tũ figurarum mutatio sequitur. Atq; partium hoc modo mutandarum, & diuersis affectionibus variandarum initium interdum à phantasiis, interdum à sensibus, aliàs autem à rationis notionibus duci solet. Cum[i].n. proprium instrumentum sentiendi recipiendo rerum sensibilium species immutetur, & aliquo modo afficiatur, fit, vt sensus ipsi mutationes quædam, & affectiones in corpore continuo existant: quia vero affectiones istæ,

a 2.de partib⁹ aĩalium c.8.
b 2.de partib⁹ aĩaliũ c. 8.9.
c 3 de animaliũ hist c. 5. 2 de partib⁹ aĩalium c.9. 2.de generatione aĩaliũ c.3.
d 3.de partib⁹ aĩalium c.4.
e lib. de somno & uigilia c.4. 2.de generatione animalium c.4.
f 2.de partib⁹ aĩalium c.8.
g 3.de partib⁹ aĩalium c 5.
h 2.de partib⁹ aĩalium c.3.
i 2. de anima t.37 51.62. 121.124. 3. de aia. t. 65.

istæ, & mutationes non ab interiore principio, sed ab externis sensibilibus ortum habent, non ita validæ, atq; potentes sunt, vt aptas, ac promptas ad motum instrumentales corporis partes constituere possint. Phantasia autem, & ratio, quæ rerum species in anima iam[a] procreatas, & sine materia consignatas amplexantur, vim quodammodo, & facultatem rerum, quarum sunt ipsæ species, obtinere videntur. Nam species rei vel calidæ, vel frigidæ, vel iucundæ, vel horribilis animo concepta, quamuis proprias non retineat rei qualitates propter iam relictam materiam, conseruat tamen eximiam quamdam eiusdem rei iucundam, aut molestam vim cum animæ facultatibus conuenientem, atq; ob eam causam si solum acri, vehementiq; intentione ipsam speciem animo comprænsam intueamur, tãquam illius vim sentientes & horremus, & timemus, & aliter multifariam affici solemus. Hæc autem omnia affectus, & mutationes sunt, quibus instrumentales corporis partes idoneæ ad motum euadere consueuerunt; quæ quidem cum sic afficiuntur, & mutantur in corpore, tum maiores, tum minores necessario redduntur. Cum autem omnes istæ mutationes ab animæ cognoscendi facultatibus exordium ducant, anima[b] vero in corde, vt in sua propria sede,[c] in quo principium cognoscendi est, insideat, consentaneum profecto est, vt tales mutationes in corde fieri primum incipiant. In quo quidem corde,[d] quod est animalis principium, si vel minima mutatio fiat, reliquas quoque corporis partes, quæ procul absunt, magnopere mutari perspicuum per se est. Attamen etiam nauigij exemplum, rem sic se habere, fidem facere potest, cuius si clauus puppi affixus, qui[e] est transuersæ mutationis principium, spatio perquam exiguo moueatur, per magna fit proræ, quæ longissime distat, mutatio. Quod cum in his, quæ loco mouentur, fieri videamus, idem quoque in ijs, quæ vel calore, vel frigore, vel alia eius generis affectione mutantur, euenire, censendum est. Cum enim cordis,[f] in quo vis, & principium totius vitæ situm est, tam parua particula, quæ vix sensu percipi possit, aliquo modo immutata fuerit, tum in cæteris corporis partibus, multæ, magnæq; mutationes, ac differentiæ horroris, tremoris, & contrariorum, quæ illam cordis affectionem, & variationem consequentur, ruboribus, atq; palloribus, declarabuntur, neque vero id sine causa, quoniam[g] principium maius est virtute, quàm mole.

a 2. de anima t. 60. 3. de aĩa. t. 38.

b 2. de partib⁹ aĩalium c. 1. 3. de partib⁹ aĩaliũ c. 4. 5. lib. de iuuẽtute & senectut. c. 1.

c 3. de partib⁹ aĩaliũ c. 4. 10 lib. de somno & uigilia c. 3. 2. de animalium c. 4.

d 2. de generatione aĩaliũ c. 1. 4. 6.

e lib. mecha quæst. 5.

f 2. de partib⁹ aĩalium c. 1 3. de partib⁹ aĩalium c. 4. lib. de iuuentute & senectute c. 1. 2.

g p. de cœlo t. 33. 5. de generatione animalium c. 7.

Digressio, in qua ostenditur, musculos Aristoteli notos fuisse.

HIC *locus, in quo de instrumentis voluntarij motus tractatur, suo quodam*

quodam iure à nobis vehementer postulare videtur, vt aliquid de musculis dicamus, & eò magis quod pleriq; medici omnem musculorum cognitionem & sibi authore Galeno penitus asciscunt, & philosophis Aristotele duce omnino detrahunt. Id autem quàm rectè, & scienter faciant, cum & quid de musculi definitione, ac constitutione Galenus dixerit, & quid hac eadem de re senserit, atq; tradiderit Aristoteles, in medium protulerimus, cuiuis diiudicandum relinquemus. Nam Galenus in principio primi de musculis libri definitionem musculi, atque constitutionem ponit, ac primum quidem definitionem hoc modo, musculus est instrumentum motus secundum appetitionem, deinde, quantum summatim colligere potui, constitutionem sic complecti videtur, musculus ex carne, arterijs, venis, vinculis, ac neruis, qui in membranaceas extenuati fibras totum musculi corpus coercent, & continent, conficitur, colligationeque cum ossibus absoluitur, ita tamen, vt omnis mouendi secundum appetitionem facultas per neruos impertiatur. Ex quo & subiecta esse ossa, & neruorum potissimum opera motum cieri voluntarium, qui secundum appetitionem dictus est, in musculo, qui est talis motus completum instrumentum, authore Galeno apertissime constat. Hæc igitur omnia, ex quibus musculum Galenus conficit, atque componit, si ostenderimus sic nota, & perspecta extitisse Aristoteli, vt ad eumdem musculi vsum esse potissimum referenda constituerit, atque docuerit, quis ignorationem musculi, etiam si eo non nominauerit modo, quo Galenus, ascribere illi audebit? Ac non verebimur, quo res tota manifestior, apertiorque fiat, ne in tractandis singulis locis, qui ad hanc illustrandam veritatem attinent, longiores habeamur. Itaque in secundo de partibus animalium libro ita philosophus ait. [a] Omnia alia carnis gratia existunt, vt ossa nerui, cutis, & venæ; ossium enim natura, cum dura sit, rei mollis, quæ est caro, conseruandæ causa constituta est: tum paulo post, [b] vbi membra flexum habent, ossa neruis colligata sunt, circa quæ oborta caro tenuibus, & instar fibrarum vinculis illigatur, cuius gratia genus ossium est. Vt enim fingentes animal ex luto, aut ex alia aliqua humida materia solidum aliquod corpus subijciunt, deinde ita circum affingunt, sic natura ex carnibus perfecit animal subditis ossibus. De venis autem, in quibus apud eum numerantur etiam arteriæ, alibi sic loquitur. Causa, [c] cur in totum corpus distractæ sint venæ, est, quia sanguis est totius corporis materia, & vltimum nutrimentum; sanguis autem in venis continetur; & quia ex eo singulæ, vniuersæque corporis partes constituuntur, necesse est, vt venæ in omnes corporis particulas pertineant. De neruis item hæc præclare tradit.

[a] 2 de partib. aĩalium c.8.
[b] 2. de partib. aĩalium c.9.
[c] 3. de partib. aĩalium c.5.

tradit. [a] *Nerui diducti sunt ad artus,& flexus ossium, maximæ autem partes neruorum sunt,& qui circa locum consistit, in quo vis ad saliendum præcipua est,appellatur aũt is locus poples, & alter neruus geminus tendo vocitatus, & qui ad corporis robur subseruiunt attendo, & humerarius, carentes autem nomine ad flexus ossium sunt: omnia enim ossa,quæ mutuo tactu,vel alterutrius insitione coniunguntur,neruis deuinciuntur, ac circum omnia ossa multitudo neruorum est,* [b] *quorum intentione, atque remissione motus in animalium membris cientur. Pulcherrime quoque fibrarum naturam continentium, & coercentium carnem hoc modo exposuit.* [c] *Fibræ sunt mediæ inter neruum, & venam, quædam autem ipsarum humorem continent saniei,quæ græce* 'ιχὼρ *dicitur, & permeant à neruis ad venas, & à venis ad neruos; est autem aliud fibrarum genus,quod in quorumdam animalium sanguine gignitur. Atqui omnia ista, quæ ex multis, diuersisque, sed tamen suis locis carpsimus,quæque naturam nobis musculi innuunt, si in vnam conferamus summam, primum carnem ad totius corporis constructionem, deinde venas,& arterias, quæ* [d] *à corde,omnis vitæ fonte proficiscuntur, ad deferendum nutrimentum, & animandum, tum ossa & ad carnis sustinendam mollitudinem,& ad membrorum flexionem,deinde fibras,quasi ad contextum, & cohibitionem carnis, tum genera denique neruorum, qui à* [e] *corde, vbi est* [f] *motus principium,oriuntur,tanquam vincula tum ad colliganda ossa,tum per eorum intentionem, & remissionem in primis ad moliendum motum à natura esse tributa, verissime dicemus. His autem quid amplius fuit in musculi & constitutione, & vsu à Galeno dictum? At non nominauit,neque definiuit Aristoteles musculum,dixerit fortasse quispiam, & nos quidem id ipsum concedimus,& fatemur libenter,& iccirco multo etiam melius,quàm Galenus fecit, Aristotelem fecisse arbitramur. Galenus enim à paruis muribus mutuatus nomen ad has totas corporis transtulit partes,quasi solus neruus ex vtraque parte in ossibus implicatus hærẽs non sit proprium istius motus instrumentum. Id quod intelligi facile potest,quoniam si totum musculi corpus secaretur neruo remanente integro,nihilo minus motus per neruum, tanquam per proprium instrumentum efficeretur, si vero incideretur neruus reliquo musculi corpore integro permanente,ne vestigium quidẽ voluntarij motus extare posset. Hoc autem cum optime nouisset Aristoteles omissa nominis translatione vbique motus voluntarij proprium instrumentum, neruos in ossibus vtrobique inhærentes appellauit. Atque si audacius loqui licet nerui definitionem ex locis ipsius philosophi iam tractatis sic*

elicie-

a 3. de aïaliũ hist. c. 5.

b 3. d̃ partib⁹ aïalium c. 4. 2. de generatione aïaliũ c. 4.

c 3. de aïaliũ hist. c. 6.

d 3. de aïaliũ hist. c. 3 2 de partib⁹ aïalium c. 9. 3. de partib⁹ aïaliũ c. 4. 5. lib. de resp. c. 15

e 3. de aïaliũ hist. c. 5. 3. de partib⁹ aïalium c 4

f 2. de partib⁹ aïaliũ c. 1. 7 3. de partib⁹ aïalium c. 3.

eliciemus. Neruus est & ad colligandas, & ad mouendas secundum appetitionem corporis partes naturale instrumentum. An vero Galeni definitio probanda sit, qua totum musculi corpus definitur, esse instrumentum voluntarij motus,[a] cũ bona, rectaq; definitio per se, et primo vniuscuiusque rei esse debeat, juditium bonorum, atque doctorũ virorum esto.

[a] 6. top. c. 2 loco 46. 7. p. phĩæ t. 11. 12. 13.

ARISTOTELES.

Principium igitur, vt dictum est, motus illud est, quod in re agibili expetendum, & fugiendum est. Ex necessitate autem sequitur ipsorum notionem, & phantasiam calor, & frigus. Molestum enim fugiendum, iucundum autem expetendum est; sed valde latet hoc euenire circa res paruas. Sunt autem molesta, & iucunda omnia ferè cum frigore aliquo, & calore; hoc autem manifestum ex affectibus. Audatiæ. n. & timores, & incitationes venereæ, & alia, quæ ad corpus pertinent, molesta, & iucunda, partim in vna parte cum calore, & frigore sunt, partim in toto corpore. Memoriæ autem, & spes talibus, tanquam imaginibus vtentes modo minus, modo magis eorumdem causæ sunt. Quapropter recte iam in mutatione constituuntur, quæ intus, & ad principia sunt instrumentalium partium, & ex concretis humida, & ex humidis concreta, & mollia, &

dura vicißim fiunt. His autem in hunc modum euenientibus, prætereaq́ paßiuo, & effectiuo talem habentibus naturam, quam sæpenumero diximus, cum contigerit, vt vnum sit effectiuum, alterum autem paßiuum, & nihil eorum, quæ in ratione sunt, ipsorum vtriq; desit, statim vnum quidem efficit, alterum autem patitur. Propter hoc autem simul, vt ita dicam, intelligit, quòd gradiendum est, & graditur, nisi aliquid alterum impediat. Instrumentales enim partes apte parant ipsi affectus, ipsos autem affectus appetitus, appetitum autem phantasia, ipsa vero fit vel per intellectionem, vel per sensum, simul autem, & celeriter eo, quòd effectiuum, & paßiuum sunt eorum, quæ natura mutuo inter se referuntur.

ECPHRASIS XVI.

Et neruos sua inserentes, atque implicantes extrema in oßibus esse præcipua voluntarij motus instrumenta, & partes corporis immutari, augeri, minui, habilesq́; ea ratione ad motum constitui ex calore, ac frigore, quæ quodammodo à rei specie animo concepta manant, ex his quæ proxime sunt explicata, cognouimus. Quamobrem, cum principium, cuius causa, vt etiam supra diximus, mouetur animal, sit illud, quod actione aliqua vel asciscendum, vel declinandum est, idem etiam per suam speciem in anima consignatam principium quodam modo harum mutationum, & affectionum in corporis partibus esse iure videretur. Nam si anima, aut in speciem in ea impressam, aut in phantasma formatum rei alicuius

cuius, quæ vel bona, & asciscenda, vel mala, & declinanda sit, aciem rationis, aut phantasiæ intenderit, necessario propter cognationem, atque coniunctionem, quam cum corpore habet, ex eo sequetur, vt calore, aut frigore afficiatur corpus. Molestum enim, quod est malum, per se vitandum, & declinandum, iucundum autem, quod etiam est bonum, expetendum per se, & asciscendum est. Quamobrem si anima per phantasiam, aut per rationem speciem iucundi, & boni nouerit,[a] *atque tali notione delectata fuerit, proprias ad amplexandam illius iucundi, & boni speciem profundit vires, quæ cum ex corde,*[b] *quod est animæ sedes,*[c] *& calidissimum omnium, quæ sunt in animali, promantur, atque in corporis partes dimanent, in easdem quoque partes calor cordis consequatur, necesse est. Si vero speciem mali, ac molesti aliquam inspexerit, eiusmodi videlicet inspectione statim offensa suas in se se, vt illam molestam speciem mali declinet, contrahit vires, quibus, quantum fieri potest, in cor contractis, & collectis reliquas corporis partes frigore occupari opus omnino est. Quod tamen non æque ex omnibus rebus euenire opinari oportet. Ex magnis enim, & grauibus rebus ob virium magnitudinem id fieri planissime constat, ex paruis autem, & leuibus propter virtutis exilitatem tam obscure, ac tenuiter accidit, vt vix apparere, atque sentiri possit. Verumtamen molesta, & iucunda ferè omnia, quæ aliqua tenentur notitia, quippiam aut caloris, aut frigoris inducere solent. Hoc autem facile declarant corporis affectus ex aliqua animi notitia existentes; eorum enim alij vnam solum quampiam corporis partem, vt venereæ libidinis ardor, alij totum corpus, vt audatiæ, timores, & alia molesta, & iucunda, quæ ad corpus attinent, calore, vel frigore inficiunt. At, quia istud non semper aut rationis, aut phantasiæ notione, sed interdum spei,*[d] *aut memoriæ virtute contingit, cum anima, vel per*[e] *memoriam phantasma, tanquam imaginem boni, aut mali præteriti, vel per spem tanquam imaginem boni, vel mali venturi contuetur, tunc memoriæ, atq; spes interdum magis, interdum minus caloris, & frigoris in animalis corpore causæ existunt. Quocirca siue anima per rationem, aut phantasiam intelligit, siue per memoriam meminit, siue per spem sperat iucundum aliquod, aut molestum, recte iam ea, quæ intus sunt, vt caro, nerui, venæ, fibræ, & huiusmodi alia,*[f] *ex quibus, tanquam ex principijs constituuntur instrumentales partes, mutantur, & ex concretis humida, & ex humidis concreta, & mollia, & dura vicissim efficiuntur. Hæc autem quia isto fiunt modo, prætereaque quia patibile, & efficiens prædita sunt tali natura, quæ multis iam locis tractata, & explicata.*

a 3. de anima t.28.29.30.
b 2. de partib⁹ aïalium c.1. lib. de iuuentute & senectute c.1.
c 3 de partib⁹ aïalium c 7. 2. de generatione animalium c. 4.
d p. de anima t. 64.
e lib. d̃ memoria & reminiscẽtia c 2.
f 2 de partib⁹ aïalium c 1.

plicata est, vt videlicet [a] patibile sit potentia proximum, & paratissimum sine vlla mora ad patiendum, efficiens autem actu, continuoq; nisi prohibeatur, agat, & efficiat, si quando contigerit, vt vnum aliquid efficiens existat, alterum autem patibile, nihilque absit eorum, quæ vtriusq; naturam, & rationem, qua inter se, vt efficiens, & patibile conferuntur, constituunt, hoc [b] est, vt se se mutuo, & quemadmodum opus est, & vbi opus est, tangant, statim efficiens efficit, & patibile patitur. Atqui ob eam causam, quòd efficiens, & patibile præsto simul adsunt, quispiam vno, eodemque, vt ita dicam, temporis puncto & intelligit sibi ambulandum esse, & ambulat, nisi quid aliud impedimento sit, aut vim afferat. Partes enim instrumentales aptæ, idoneæq; ad motum ab affectibus calore, ac frigore redduntur, affectus autem ab appetitu, dum animæ uires aut effunduntur, aut contrahuntur, vt supra docuimus, inducuntur, appetitus autem à phantasia per phantasma rei iam informatum excitatur, at phantasia vel per rationis intellectionem tanquam renouatur, & instauratur, dum ratio rei speciem in phantasmate intuetur, vel per sensum generatur, & procreatur. Atque is continuatus deinceps efficiendi, & patiendi cursus celerrime, & eo ipso tempore conficitur, propterea quòd efficiens, & patibile sunt in eorum genere, [c] quæ inter se referuntur, & simul natura constant.

a p. de generatione, & corruptiõe t. 77 9. p. phĩæ t. 12.

b p. de generatione, & corruptione. t. 77 78. 2. de generatione aĩaliũ c. 4.

c 3. ph. t. 3. 5. p. phĩç t. 20.

Theorema, principium, cuius gratia animal loco mouetur, esse aliquid extra, non autem rei speciem animo conceptam.

QVIA *sæpe iam diximus, quòd animal & cognoscendo aliquo modo, & simul expetendo quoppiam bonum, aut fugiendo aliquod malum loco à se mouetur, ne in eam incidamus dubitationem, sitne huiusmodi bonum, aut malum mouens animal species rei animo per cognitionem comprehensa, an res ipsa extra animam posita, visum est perpauca hæc in contemplationem adducere. Quorum quidem initium hinc sumi volumus, vt illud primum probè teneamus, quod iam crebra repetitione tritum factum est, duas esse inter se penitus distinctas facultates, quibus anima ad mouendum corpus vtitur, [d] cognoscendi vnam, appetendi alteram; quæ cum ad ciendum motum adhibentur ab anima, quia ad aliquid vnum, atq; idem diriguntur, & intenduntur, simul iungi necessario debent, neque id quidem sine causa, quandoquidem nihil, [e] quin aliquo modo cognoscatur, vlla expeti rõne potest. Quãobrem, quod re vera vnum, & idem est, alia cognoscitur, alia expetitur ratione, [f] & tamen*

d 3. de anima t. 48. 49. 50.

e 12 p. phĩç t. 36.

f 3. de anima t. 30

men simul cognitum, & expetitum solet mouere animal. Quatenus igitur cognoscitur, eius species animo percepta teneatur, necesse est,[a] quia omnis cognitio per rei cognitæ efficitur conceptam speciem; quatenus autem expetitur, extra animam omnino per se consistere oportet, siquidem quod appetitur, & desideratur,[b] eo appetens, & desiderans prorsus carere debet, quoniam nihil, quod tenetur, atq; possidetur, appeti, vel desiderari, potest. Quocirca patet quòd vna, eademq́ue res, quatenus per propriam speciem in animalis illam cognoscentis anima aliquo modo impressam cognoscitur, obtineri, ac possideri dicitur, quatenus autem expetitur, & desideratur, ipsi animali desideranti, atque expetenti abest, & propterea principium est, cuius gratia, si bona est, ad eam asciscendam, si vero mala, ad eamdem declinandam recte mouetur animal. Nec vero nostra quidem sententia licet dicere illius speciem, quæ in anima continetur esse principium, vnde est motus per locum, id enim esse animam per suas tum cognoscendi, tum appetendi facultates sæpius iam dictum, atque repetitum est: at si eiusmodi species constitueretur principium, quemadmodum supra declarauimus mutationum, & alterationum, quæ in corporis partibus intus fiunt, nos quoq; authore philosopho ex his, quæ modo exposita sunt, prorsus assentiremur.

[a] 3. de anima t. 121. 1. 8. 3. 3. de aīa t. 2. 3. 12 p. phiſ. t. 39.
[b] p. ph. t. 81.

ARISTOTELES.

Mouens autem, & primum ipsorum animalium necesse est esse in aliquo principio, quòd autem flexus est, vnius principium, alterius autem finis, dictum est. Quare & vt vno, & vt duobus vtitur natura ipso. Cum enim mouetur hinc, necesse est, vnum quidem signum extremorum quiescere, alterū autem moueri. Quòd enim ad quiescens oportet anniti id, quod mouet, dictum prius est. Mouetur igitur, & non mouet extremum brachij, ipsius autem flexus,

qui est in cubito, illud quidem mouetur, quod est in ipso toto, quod mouetur; necesse autem esse aliquid etiam immobile, quod videlicet dicimus potentia quidem vnum esse signum, actu autem fieri duo. Quamobrem, si animal esset brachium, hic esset vspiam animæ principium mouens. Quoniam autem contingit & ad manum aliquid inanimatorum sic se habere, vt si moueret baculum in manu; manifestum, quod in neutro extremorum anima esset, neq; in extremo eius, quod mouetur, neq; in altero principio. Etenim lignum habet & principium, & finem ad manũ. Quamobrem propter hoc si in baculo principium mouens, quod est ab anima, non inest, neq; in manu. Similiter .n. se habet extremũ ipsius manus ad commissuram, qua cum brachio iungitur, & hæc pars ad cubitũ. Nihil .n. differũt ea, quæ naturali ortu affixa sunt, ab illis, quæ affixa naturaliter non sunt. Fit .n. tanquam pars, quæ amoueri potest, baculus. Necesse igitur in nullo esse principio, quod alterius est finis: neque si quid alterum magis vltra illud est, vt extremitatis baculi principium in manu est, huius autem in brachij commissura.

si

Si autem neq; in manu, quoniam magis etiam ſupra principium eſt, neque hic; quieſcente enim cubito etiam, mouetur omne, quod infra continuum eſt.

ECPHRASIS XVII.

Quo pacto ſpecies rei iucundæ, aut moleſtæ animo percepta ſit principium, quo partes corporis immutentur, & alterentur, & quo ordine, atq; quàm incredibili, & admirabili, celeritate tales immutationes, & alterationes ab eo principio per multa deinceps emanent in ipſas tandem corporis partes, ex ſuperiore tractata doctrina planum eſſe factum autumamus. Cum autem hæc ſpecies nequaquam eſſe poſſet iſtarum mutationum principium, niſi recepta, atq; conſignata in anima eſſet, anima vero non extrinſecus, ſed proprium, intimum, & primum omnium motuum animalis principium exiſtat, ſicuti iam ſæpius diximus, conſentaneum, vel potius neceſſarium illius naturæ eſſe videtur, vt in aliqua prima, & principali parte, quæ ſit totius corporis principium, reſideat. Quòd autem nullus cuiuſcunque membri flexus eſſe poſsit tale corporis principium, minime nos fugere arbitror, quandoquidem initio iam oſtendimus, flexum non ſolum principium, ſed ſemper inferioris quidem partis principium, ſuperioris autem ſimul finem eſſe. Vnde natura eo tum vt vno appoſite vtitur, quia re vera flexus vnus eſt, in quo duo duarum partium connectuntur, & coercentur extrema, & quodammodo vnum efficiuntur, tum vt duobus, quia, cum ibi cietur motus, vnius partis extremum quieſcit, alterius autem mouetur. Quòd autem ita fieri neceſſe ſit, patet, quia ſupra demonſtrauimus, illud quod mouet, debere ſemper in aliquo quieſcente inniti. Cum igitur motus ex flexu cubiti exiſtit, inferior, ſiue extrema brachij pars mouetur ſolum, & non mouet, extremum autem illud ipſius flexus, qui eſt in cubito, quod eſt ſupremum eius extremæ brachij partis, quæ in motu verſatur, totum propter continuationem mouetur. Quare, cum hoc extremum ſit penitus aliud, atque diſtinctum ab altero extremo ipſius flexus, & vnum totum quieſcat, alterum autem totum moueatur, apparet flexum non eſſe illud vnum corporis principium, in quo anima locata ſit, quia neceſſe eſt, aliquid aliud eſſe, quod, neceſſario unũ ſemper, atq; idem ſit, quãuis ex parte moueatur,

&

& ex parte immobile etiam omnino existat, quod nimirum potentia esse vnum, vt paulo post planius declaraturi sumus, actu autem fieri duo dicere solemus. Quamobrem, si animal exempli gratia esset brachium, in ipso illud vnum principium, in quo animæ principium mouens consisteret, esse omnino oporteret. Quòd autem huiusmodi principium mouēs, quod anima est, nusquam esse in brachio queat, facile intelligemus, si nobis exploratum erit propriam animæ sedem tantummodo principium, non autem etiam finem alicuius esse debere. Quapropter, quia fieri potest, vt & manus, & inanimatum aliquod inter se similiter se habeant, vt si quis moueret baculum, quem manu teneret, nulli profectò dubium est, quin in illorū neutra extremitate anima esset, id est, neque in baculi, neq; in mouētis manus extremitate, quæ est principiū motus ipsius baculi. Etenim lignum, siue baculus, si ad manum referatur, & principium, & finem habet, finem quidem, propterea quòd ad manum finitur, & terminatur, principium, quia inde, hoc est, à manu incipit moueri. Ob eam igitur causam, quòd in ista baculi, & manus copulatione, vnde nunc motus extat, non solum principium, sed etiam finis inest, anima vero in eo, quod duntaxat principium est, esse debet, si in baculo, cuius extremitas in manu finis est, vt diximus, animæ principium mouens non continetur, neque in manu vllo modo contineri potest. Similis enim ratio est summæ manus cum brachij commissura, & huius quoque partis cum cubito; vtrobique enim & principium, & finis est. Neque enim inter has partes, & baculum quicquam interest, quòd eæ partes naturaliter innatæ, atque insitæ sint, baculus autem neque innatus, neque insitus natura, sed tanquam pars existat, quæ tolli, & auferri possit. Necesse igitur est, animam in aliquo inesse, quod tantummodo principium est, non autem in eo, quod, cum principium alicuius sit, tamen finis etiam alterius existit; neque, si quid alterum simile est magis intra, quàm illud, in eo esse potest, vt extremitatis baculi principium, quemadmodum diximus, in manu est, huius autem in brachij commissura. Si autem neque in manu, quia in superiore etiam, atque interiore parte insidet anima, quæ est principium mouens, neque hic, id est, in brachij commissura esset, quoniam quiescente cubito tota etiam mouetur inferior pars, in qua brachij, & manus commissura continetur; ex quo sequeretur ita, vt totum ex omni parte principium vno, eodemque motu in ipsa commissura agitaretur, quod quidem fieri nullo modo potest.

ARISTO-

ARISTOTELES.

Quoniam autem similiter se habet à sinistris, & à dextris, & simul contraria mouentur, vt non sit, quia quiescit dexrum, vt moueatur sinistrum, neque rursus, quia hoc quiescit, vt moueatur illud, semper autē in eo, quod est vtrisq; superius, principium inest, necesse in medio esse principium animæ mouentis. Vtrorumque .n. vltimorum medium est extremum. Similiter autem se habet hoc ad motus etiam, qui ab eo, quod sursum, & ab eo, quod deorsum est, sunt, veluti ea, quæ à capite sunt, & quæ à spina in habentibus spinam, & recte sane hoc accidit; nam & sensitiuum hic esse dicimus. Quare, dum propter sensum alteratur locus, qui est circa principium, & mutatur, continentes simul mutantur partes, cum & porriguntur, & contrahuntur, vt ex necessitate propter hæc fiat animalibus motus, Media autem corporis pars potentia quidem vna est, actu autem necesse est fieri plures. Nam & simul mouentur membra ab ipso principio, & altero quiescente mouetur alterum, dico autem, vt in li-

nea a. b. c. ipsum b. mouetur, mouet autem a. verumtamen oportet & aliquid quiescere, si futurum est, vt vnum moueatur, alterum autem moueat. Vnum igitur potentia cum sit ipsum a. actu duo erit. Quare necesse est, non punctum, sed magnitudinem quamdam esse. Attamen contingit ipsum c. vnà cum b. moueri. Quapropter necesse est, vtraque principia eorum, quæ sunt in a. moueri, & mouere. Oportet igitur aliquid esse præter hæc alterum, quod moueat, & non moueatur. Niterentur enim inter se in ipso a. extrema, & principia eorum, quæ mouentur, perinde ac si aliqui se mutuo tergis impellentes mouerent crura; sed, quod mouet ambo, adesse necessarium est. Hoc autem est anima, quæ, cum aliud sit ab eiusmodi magnitudine, in ipsa tamen est.

ECPHRASIS XVIII.

Cur nullus corporis flexus esse poßit propria sedes animæ, quæ est in animali principium motus, ex adductis, explicatisque rationibus satis esse intellectum opinor. Quamobrem, vt ad huiusce corporis partis, quæ semper principium est, in quo locata est, & potißimum viget anima, inuentionem aperiatur aditus, pauca quædam prius ponenda, atq; tenenda sunt. Horum autem primum est, quòd & sinistrum, & dextrum similiter, pariterque ad animalis principium, [a] à quo virtutem, & facultatem tum ad vitam, tum ad motum necessariam hauriunt, pertinent, atq; pene-

[a] 3 de partib. aialiũ c. 3, 4.

penetrant. Alterum, quòd partes corporis contrariæ ſimul mouentur, neque opus eſt, cum ſiniſtrum mouetur, vt dextrum quieſcat, neque rurſus, cum hoc in motu eſt, vt illud in quiete maneat. Tertium, & poſtremum,[a] quòd in interiore ſemper, & priore parte, quàm ſit dextrum, & ſiniſtrum, principium mouens conditum eſſe oportet. Hæc autem cum ita ſe habeant, ſequitur certe neceſſario, vt principium mouentis animæ in medio corpore ſitum, & collocatum ſit. Amborum enim extremorum, qualia hic ſunt & dextrum, & ſiniſtrum, communis terminus eſt mediũ, ſiquidem[b] illud medium dicitur, quod vtriuſque extremi vel particeps, vel expers omnino eſt. Quapropter, quamuis cor proprium animæ domicilium paululum[c] in ſiniſtram mammam in homine vergat, vt ſuo calore frigidæ opituletur parti, nihil tamen prohibet, quominus medium inter dextrum, & ſiniſtrum obtineat locum. Is enim locus neutrum illorum extremorum in corporis latitudinem ſpectantium vere dici poteſt. Eodem autem modo, ſi ad longitudinis extrema, quorum in corpore neceſſario ad viuendum vnum ſurſum, alterum autem deorſum eſt, medium eſſe facile cognoſci poteſt. Neceſſarium autem ad vitam tuendam corpus accipi volumus,[d] cuius extremum ſurſum eſt, quà cibus, & alimentum ſumitur, vbi caput eſt, deorſum autem, quà cibi reliquiæ pelluntur, & eijciuntur. Reliqua enim corporis membra minime eſſe ad vitam neceſſaria conſtat, quippe quòd nonnulli ſine vel brachijs, vel cruribus viuere conſpiciuntur. Vtrinq; igitur, & ab ijs, quæ ſurſum verſus capiti iunguntur & ab his, quæ deorſum verſus cum ſpina copulantur, vt oſſa crurum, motus cieri plerunque voluntarios corporis inflexione videmus. Ac ſumma quidem ratione principium mouentis animæ in medio corpore tum ex longitudine, tum ex latitudine locatum à natura eſſe putandum eſt. In eadem enim parte omnem etiam vim, & facultatem ſentiendi ſitam eſſe naturaliter ſtatuimus. Quamobrem cum talis media pars ſit cor,[e] à quo omnes & ſenſus, & motus habent ſuos ortus, quotieſcunq; cor ſentiendo afficitur varietate, ac viciſſitudine qualitatum, atq; mutatur, etiam partes corporis cum illo continentes, & continuatæ iure ſimul afficiuntur, & immutantur; quibus quidem affectionibus, & mutationibus eædem partes deinceps extenduntur, ac contrahuntur. Quapropter, cum iſta eo efficiuntur modo, ſequitur, vt neceſſario fiat in animalibus motus: neque tamen propterea neceſſarius, ſed voluntarius cenſeri debet, quia neq; cor, neq; deinde reliquæ mutarentur, mouerenturq; partes, niſi cognoſcendi acies in ſpecie, aut in phantaſmate rei cognitæ, quod eſt voluntatis, defixa teneretur. Cor autem ipſum, quod eſt

a 3. de partib. aĩalium c. 4. lib. de ſomno & uigilia c. 3. lib. de iuuẽtute & ſeneƈtut. c. 1.

b 10. p. phĩcĩ t. 23.

c p. de animaliũ hiſt. c. 17. 2. de aĩaliũ hiſt. c. 17. 3. de partib. aĩalium c. 4.

d 3. de partib. aĩalium c. 4. lib. de iuuentute & ſeneƈtute c. 1.

e 2. de partib. aĩaliũ c. 1. 10. 3. d partib. aĩaliũ c. 3. 4. 2. de generatione animalium c. 4. lib. de iuuẽtute & ſeneƈtute c. 1.

media corporis pars, potentia quidem vnum est, quia, cum eius subiecta natura indiuidua, atque vna numero sit, sed per motum, & quietem, vel
a
per diuersos motus vtrarumq; corporis partium, quarum [a] initia pro-
3. de aīaliū hist.c.3.5 3.d partib9 aīaliū c.4.5.
priorum neruorum, & venarum in corde continentur, distinguatur, potest, si vtrinq; corporis partes quiescerent, etiam ipsum totum quiescere, & sic omnibus modis vnum esse, actu vero plura effici necesse est, cum motu, & quiete, aut dissimilium motuum diuersitate, vt diximus, re ipsa distinctum sit. Nam & simul interdum membra ex vtraq; parte corporis, quia cuiusq; animalis ad gradiendum natura constituti, & sangui-
b
nem habentis [b] bipartitum corpus est, ab ipso mouentur principio, inter-
3. de partib9 aīaliū c.5.7.
dum etiam quiescente vno mouetur duntaxat alterum; quod, vt melius intelligatur, ob oculos ponamus lineam his literarum notis .b.a.c. tanquam duobus membris, & parte ipsa media distinctam. Huiusce autem lineæ moueatur .b. tanquam dextrū membrum, moueat autem .a. in quo & initium ipsius b. quemadmodum ostendimus, continetur, & anima, principium mouens inest, profecto necesse est, vt aliquid etiam quiescat; demonstratum enim iam est, cum vnum mouetur, et alterum mouet, opus esse, vt quippiam etiam immobile, in quo mouens nitatur, necessario subsit. Ipsum igitur .a. cuius natura vna est, quodque, si totum quiesceret, posset vnum omnino esse, nunc re ipsa in duo per initium ipsius .b. quod mouetur, & per initium ipsius .c. quod quiescit, distinctum est. Ex quo ap-
c
paret, ipsum .a. siue mediam corporis partem nullo modo punctum, [c] cu-
Euc.p.elem. 6.ph.t.1.
ius nulla datur pars, sed magnitudinem quādam necessario esse. Verumtamen potest etiam fieri, vt .c. tanquam sinistrum membrum, quod quiescebat, eo ipso tempore, quo mouetur .b. moueatur. Quapropter necesse est, vt amborum membrorum initia, quæ sunt in ipso .a. & moueantur propter continuationem cum suo toto membro, quod mouetur, &, quia principia sunt, etiam moueant; atq; ex eo fiat, vt illorum vtrumq; se ip-
d
sum moueat. Cum igitur id, quod se ipsum mouet, [d] constituatur, ex mo-
8.ph.t.43.
uente, quod per se penitus immobile est, & ex eo, quod mouetur, oportet omnino aliquid aliud esse præter ista initia, quod moueat, et non moueatur, neque, cum incorporeum sit, egeat altero corpore, in quo, dum mouet, nitatur. Nam extrema, siue initia ipsorum membrorum, quæ mouentur, similiter inter se niterentur, atque vrgerentur in ipso .a. vt si aliqui mutuo renixu prementes, & impellentes terga mouerent crura; sed, cum hæc ambo initia moueantur, illud quoque immobile, quod mo-
e
uet ipsa, adesse necesse est. Hoc autem est anima, quæ, cum [e] à tali ma-
3.de aīa t.4.
gnitudine, hoc est, à corde, quod semper principium, nunquam autem finis

nis est, diuersa, atque distincta sit sua natura, in eo tamen, tanquam in propria sede penitus inhæret, atque insidet.

ARISTOTELES.

Secundum igitur rationem, quæ causam motus tradit, appetitus est medium, quod mouet, & mouetur; in corporibus autem animatis oportet aliquod esse corpus huiusmodi. Illud igitur, quod mouetur, non autem est natura comparatum, ut moueat, potest pati secundum alienam potentiam; quod autem mouet, necessarium est, vt habeat aliquam potentiam, & robur; omnia autem animalia videntur & habere spiritum ingenitum, & illo valentia esse. Quæ igitur sit conseruatio ingeniti spiritus, dictum in alijs est. Is autem ad animale principium similiter se habere videtur, vt in flexibus signum, quod mouet, & mouetur, ad id quod immobile est. Quoniam autem principiũ alijs in corde est, alijs in eo, quod ad cor habet proportionem, propter hoc etiam spiritus ingenitus hic apparet esse. Vtrum igitur spiritus idem sit semper, an fiat semper alter, sit alia consideratio; eadem enim est & de alijs partibus. Videtur autem apte se habere, vt ad mouendum idoneus

neus ſit, & præbeat robur. Opera autem motuum pulſus, & tractus. Quare oportet, vt inſtrumentum porrigi, & contrahi poſſit, talis autem eſt ſpiritus natura. Etenim, quia ſine violentia contrahitur, & ad trahendum, & ad pellendum propter eamdem cauſam apta, idoneaq́; eſt, & habet & grauitatem, ſi cum igneis, & leuitatem, ſi cum contrarijs conferatur. Oportet autem, quod non alteratione moturum eſt, tale eſſe. Vincunt enim ſe viciſſim ſecundum exuperantiam naturalia corpora, leue quidem deorſum, ſi à grauiore, graue autem ſurſum compellitur, ſi à leuiore ſuperatur. Qua igitur particula, quæ & ipſa quoq; moueatur, moueat anima, dictum, & propter quam cauſam.

ECPHRASIS XVIIII.

Perueſtigauimus, tandemq́; inuenimus propriam in medio corpore locatam ſedem animæ, quæ, cum ſit primum motus principium, mouendo immobilis ipſa per ſe manet. Quãobrem, cum ex hac ratione conſtituerimus animam eſſe & primum mouens, & principium eius, quod ſe ipſum mouet, neceſſarium eſt, vt oſtendatur, quodnam in animali ſe ipſum mouente ſit illud, quod ab eo principio primum moueatur, & tanquam inſtrumentum quoddam, dum mouetur, mouere poſſit alia. Cum autem, vt ſupra iam ſæpe diximus, animæ præcipua mouendi facultas ſit appetitus,[a] qui eſt motio quædã, oportet, vt corpus, in quo primũ vis appetendi ab anima imprimitur, ſit iſtud mediũ, quod, cum mouetur, mouere poſſit alia. Atqui in animantium corporibus tale ineſſe corpus neceſſe eſt. Itaque

3. de anima t. 54.

què,quodcumq; tantummodo mouetur, neq; natura comparatum est,vt moueat, debet ab aliena facultate, atque virtute, qua mutetur,& moueatur, pati posse,affici,& immutari; at illud,quod sua natura mouet, potentiam quamdam,& vires,quibus mouere,ac mutare queat,habeat, necesse est. In animalibus autem omnibus spiritum inesse ingenitum, quo robusta,atq; valentia sunt, apparet. Nam,[a] cum ingenitus continetur, & cohibetur spiritus,constat,& vires ingenerari,& robustiora, ac valentiora ad omne opus animalia fieri. Is igitur innatus spiritus est corpus,in quo ab anima primum vis appetendi insita est, quodq; ab eadem primo ad mouendum adhibetur, & propterea omnem in se roboris vim continet. Quamobrem, cum in omnem animantium vitam maximopere sit necessaria huiusce spiritus natura, omni cura,& studio eadem tuenda,& conseruanda est; atq; illius conseruandæ,tuendæq; ratio,alio loco[b] vbi de animalium tractatur nutritione continetur.[c] Nutrimentum enim totius viuentium naturæ,in qua inclusus compræhenditur natiuus spiritus,conseruatio est,& quasi instauratio quædam. Quia vero quicquid virium in hoc spiritu inest,id totum ab anima deriuatur,& fluit,sic ab ipsa anima,quæ est motus principium per se immobile,pendet,vt cuiusque inferioris partis in motu versantis signum,quod in aliquo flexu, quia eius partis principium est,& mouet,& propter cum illa continuationē etiam mouetur,ab alterius,& superioris partis signo,quod in eodem flexu quiescens,& immobile manet,pendere videtur. Quemadmodum enim mobile signum in flexu ab immobili habet,vt,dum ipsum mouetur,reliquam sibi continuatam partem mouere possit,sic spiritus,cum ab anima,quæ immobilis permanet, ad mouendum asciscitur, ab eadem omnem vim, & facultatem mouendi cæteras corporis partes, consequitur. Cum autem anima,quæ per spiritum ingenitum est huiusmodi motus ciendi, & omnis vitæ principium, animalibus cor habentibus in corde, carentibus autem corde,[d] qualia sunt sanguinis expertia, in eo, quod loco cordis habetur,sita sit,recte ob eam causam initium,& origo ipsius natiui spiritus ibidem[e] in corde, vnde per venas,arterias,& neruos ex corde[f] orientes in totum corpus permanat,& diffunditur, esse apparet. Quoniam igitur assidua sanguinis,[g] qui, est totius corporis vltimum, perfectissimumq; nutrimentum,procreatio[h] naturali calore elaboratur in corde,iure dubitari,ac quæri posset,vtrum ingenitus spiritus,cum & ipse quoque nutriatur,idem permaneat semper,an alter semper fiat, & ad nouam nutrimenti generationem nouus in vnoquoq; animali assiduè generetur. Hæc autem quæstio, quæ reliquas quoque attingit corporis

a 2 de partib' aïalium c.16 lib. de somno & uigilia c.3 2. de generatione aïaliū c.4.
b Desideratur hic liber.
c p. de generatione & corruptiōe t. 41 2. de anima t.47.
d 3. de partib' aïalium c.4. lib de somno & uigilia c.3 lib de iuuētute & senectute c.1.
e lib. de somno & uigilia c.3
f 3. de aïaliū hist. c.3 5 3. de partib' aïaliū c.4.5.
g 2. de partib' aïalium c.3. 3. de partib' aïalium c.5. lib. de somno & uigilia c.4.
p. de generatione animalium c.19.
h l b. de resp. .15

partes

partes, de quibus item hoc modo considerari conuenit, in eo tractatur lo co, vbi, quo pacto nutriantur animalia, explicatur; id tamen esse tenendum censemus, vnum, eumdemq; numero secundum propriam naturam, sicuti cæteras corporis partes, ingenitum spiritum semper, dum animal viuit, manere, quamuis vel augeatur, vel minuatur assidue. Omnia .n. quæ orta, interituraq; sunt, dũ sunt,[a] mutantur illa quidem quantitatibus, & alijs affectionibus semper, sed illorum forma, atq; natura vna, eademq; vsq; ad eorum interitum constanter perseuerat. Cum igitur ad frequentissimum animalis motum usus istius spiritus maxime necessarius sit, necessario idem semper manere debet, cuius quidem natura propterea & ad mouendum & ad vires, ac robur præstandum, aptissima est, quòd duæ potissimum sunt molitiones motuum,[b] vna pellere, altera trahere. Quapropter instrumentum motus, cuiusmodi est innatus spiritus, & ad pellendum, & ad trahendum ita esse accommodatum oportet, vt ipsum facile contrahi, atq; porrigi possit. Ac talis quidem est natura spiritus; etenim, quia sine vlla violentia, sed sponte sua facillime, in se ipsam cogitur, atque contrahitur, rursumque similiter extenditur, ac porrigitur, tum ad trahendum, tum ad pellendum maxime apposita est; prætereaq; ad similitudinem spirabilis[c] inter cætera elementa naturæ aeris, & grauis, si cum ijs, quæ igneæ sunt naturæ, & leuis, si cum contrarijs confeartur, existit, & ob eam rem in animali potest corpora vtriusq; generis commode mouere. Huiusmodi autem id, quod non qualitatibus inficere, & mutare, sed quod loco mouere quippiam debet, esse oportet. Naturalia enim corpora hoc modo secundum exuperantiam grauitatis, & leuitatis inter se vicissim moueri solent. Cum[d] .n. duo corpora in sublimi sunt, & mutuo inter se vrgentur, si vnum vincit, & superat sua grauitate alterum, deprimit illud, atque secum deorsum rapit, cum autem in imo, & leue propria leuitate excellit, tum sursum impellit graue, ac secum in sublime tollit. Quòd igitur ingenitus spiritus sit ad mouendum tale animæ instrumentum, quod, dum mouet, ipsum quoque moueatur, & propterea in eum vsum adhibeatur ab anima, quia & ad motum moliendum, & ad vires præstandas animali aptissimus est, ex his explicatum, atque cognitum habeatur.

a p de generatione, & corruptiõe t.42 4. p. phisæ t. 22.

b 7. ph. t 10. lib de icessu aĩalium. c. 2.

c 3. de cælo t. 28. 4. de cælo t. 27.

d p. meteo. c. 4

ARISTOTELES.

Existimandum autem est, constare animal, sicut ciuitatem bonis institutam legibus. Nam &

& in ciuitate cum semel constiterit, atque viguerit institutum, nihil separatim opus est principe, quem oporteat singulis quæ fiunt, adesse, sed quisque, quæ ad se attinent, vt constitutum est, facit, & fit hoc post hoc propter consuetudinem, & in animalibus id ipsum propter naturam fit, tum quia vnumquodq; eorum, quæ ita constant, comparatum natura est, vt proprium efficiat opus, vt nihil oporteat in vnoquoq; animam esse, sed, cum sit in quodam corporis principio, alia viuant quidem eò, quòd naturali ortu insita sint, faciant autem proprium opus propter naturam. Quomodo igitur mouentur voluntarijs motibus animalia, & quas ob causas, dictum est.

ECPHRASIS XX.

Ortum ingeniti spiritus, qui maxime idoneum motus instrumentum est, manare ex corde, vbi residet anima, iam plane perspectum, vt ego existimo, habere licet. Quare illud fortasse absurdum, dissentaneumque veritati putaretur, animam, quæ non solius cordis, sed [a] totius instrumentalis corporis naturalis forma est, & cuius virtute omnes corporis partes vitæ munia exequuntur, in solo corde sitam, non autem in toto corpore æque fusam esse. Itaque, vt talis opinio, falsa præsertim ab omnium animis prorsus remota sit, existimandum est, animal ad similitudinem ciuitatis, in qua optimis legibus, institutis, ac moribus viuatur, constitutum naturaliter esse. Vt enim in ciuitate simul atq; ex principis authoritate, ac voluntate & leges promulgatæ, & instituta communi consue-

[a] 2. de anima t.4.6.7

tudine, & vsu firmata sunt, nequaquam necessaria seorsum est etiam præsentia principis, qui mandando, & imperando singulis instet ciuibus, vt suum quisq; opus, & officium faciat, sed cognita illius voluntate, & authoritate pro se vnusquisque, sicuti præscriptum, & imperatum est, proprio fungitur munere, & singula deinceps omnia perficiuntur vigente iam vsu, & consuetudine, sic in animalibus isthuc ipsum & dominante iam in toto corpore natura efficitur, & quia vnaquæq; pars, quæ ita constet, vt sana sit, comparata naturaliter est, vt proprium naturale munus exequatur. Ex quo minime opus est, vt in singulis partibus anima insit;

a 2.de generatione aïaliū c 1.4.

sed, cum in corde, [a] *quod est corporis principium, solo contineatur, reliquæ quidem partes, quia sunt affixæ, & innatæ assidue viuunt, sed propter naturam ipsam iam vigentem proprium vbiq; opus efficiunt. Nam,*

b p dē partib⁹ aïalium c.1. 2. de anima t.9.10.24.

cum primum animæ facultates, [b] *quibus totum animal optime ad vitæ munia instituitur, ex corde ad singulas corporis partes, quæ valentes sint, peruenerint, statim receptis vbiq; ipsius animæ viribus suum quæq; pars munus obire incipit, atque in eo obeundo, dum animæ vires suppetunt, perseuerat. Quomodo igitur uoluntarijs motibus cientur animalia, & quæ sunt causæ, quibus sic mouentur, hactenus expositum est.*

Theorema, quænam sit animæ, & naturæ, de qua hoc loco mentio facta est, differentia.

EX his, quæ proxime tractauimus, constat ex philosophi sententia animam omnino à natura differre, cum anima solum in corde, natura vero in omnibus corporis partibus diffusa sit. Quapropter qualis earum differentia existat, perspicere, atq; contemplari nostrum esse in præsentia existimo. Id autem melius effici posse arbitramur, si ex vtriusque definitione, quid vtraque sit, consideretur. Itaque, quia hanc naturam esse

c p. de anima t.66. 2. de anima t.21 3. de anima t.20. a de generatione animalium c 3. d 2. de aïa t.7 e a de anima t.8.9.10

diuersam ab omni animæ specie censemus, primum quid sit cōmunis substantia ipsius animæ, excepto tamen intellectu, [c] *qui diuinius quiddam est, ex communi definitione videamus.* [d] *Anima igitur est actus primus corporis naturalis instrumentalis; ex qua definitione tria ad rem facientia nobis nunc elicienda sunt, vnum, quòd, cum anima sit actus primus, necessario forma est, quia* [e] *primus actus nihil aliud est, nisi eius, cuius est actus, constitutio, atque informatio, alterum, quòd corpus ab anima informatum & naturale est, & partes dissimiles, siue instrumentales habet, tertium, & postremum, quòd talis informatio animæ, quæ est actus primus, non continuo affert informato corpori naturales operationes,*

sed

sed tamen [a] affert potentias, & facultates, quibus ad secundum actum, id est, ad ipsas operationes animatum prouehi, quando expedit, potest. Sic igitur breuiter, quæ ex communi animæ definitione nunc nobis cognoscere conueniat, expositum est. Quare, quid item sit natura, de qua hoc loco quærimus, quàm paucis fieri potest, perstringamus. Est autem natura in genere eorum, quæ, cum multa, & diuersa sint, conuenientia tamen quadam inter se ad vnum primum in illo genere referuntur, & propterea etiam omnia vno, eodemque appellantur nomine. [b] Aliàs igitur natura est eorum, quæ procreantur, generatio: aliàs proxima materia, quæ in generatione paulatim per informationem perficitur, et in re, quæ generatur, inest: aliàs illud, vnde est motus primus in vnoquoque eorum, quæ natura constant, in ipso, quatenus tale existit, siue [c] principium quoddam, & causa, vt illud, in quo primo inest, moueatur & quiescat per se, & non per accidens: aliàs materia, ex qua prima, quatenus informis, suaque propria ui, & ex se immutabilis est, aliquid naturale, vel est, vel fit: postremo forma cuiusque rei, quæ naturaliter constat. Ex quo, cum appareat omnia ista inter se differre, conueniunt tamen, quia reliqua ad formam, quæ proprie, potissimumque natura est, referuntur, vel potius ab illa pendent, & ob id etiam naturæ nomen inuenerunt. Itaque ex hac multiplici explicata naturæ notione, quænam sit illa, de qua nũc agitur, vt, quid inter ipsam, & animam intersit, intelligatur, videamus, oportet. Quòd igitur huiusmodi natura non sit corporis naturalis, instrumentalis, neque forma, neque materia informis, neque materia, quæ sensim in generatione informatur, neque generatio ipsa ex ijs, quæ philosophus dixit, non admodum obscurum esse potest; si quidem hæc natura in corpore iam informato inest, tanquam naturalium munerum obeundorum causa quædã, atq; ab informante anima loco distincta, ac separata est. Quapropter relinquitur, vt illa tantum necessario sit, vnde in vnoquoque eorum, quæ natura constant, est motus primus in ipso, quatenus tale existit, aut, quod idem valet, principium quoddam, & causa, vt illud, in quo primo inest moueatur, & quiescat per se, et non per accidens. Quare ex hac naturæ bifariam tradita definitione quinque potissimum depromamus, velim, quorum vnum est, quòd talis natura principium quoddam est, quia motus ab ipsa oritur; alterum, quòd eiusmodi principium accidens est, quia in corpore iam naturaliter informato consistit, tertium, quòd statim consequitur rei constitutionem, & informationem, quia in illa ipsa informata re primo inest, & quatenus talis existit, quartum, quòd motus ab ista natura proficiscens est ipsius rei naturalis, actio

a 2, de anima t. 18. 27. 37.

b 5 p. phi. t 5

c 2. ph. t. 3.

siue operatio, quia eiusdem primus per se motus existit, quintum & postremum, quòd motus is primus est corporis instrumentalis naturalis secundus actus, quia primus talis corporis actus est eius informatio, & constitutio, secundus autem actio quæq; naturalis, & operatio per proprias illius formæ vires, ac facultates. Hæc igitur si cum ijs, quæ ex animæ definitione collegimus, sigillatim conferamus, quid inter animam, & naturam intersit, facile discernere poterimus. Primum enim etsi & anima, & natura principium sunt, differunt tamen, quia anima forma, atque substantia est, natura vero neq; informat, & accidens, quod formam continuo sequitur, existit; deinde anima instrumentale tantummodo corpus informat, natura autem in instrumentali, pariterq; in non instrumentali corpore inest: postremo effectus animæ est actus primus, id est, informare, & constituere instrumentale corpus, illiusq; singulis partibus vires, & facultates prodeundi ad actiones, & operationes, quæ sunt secundi actus, impertire, naturæ vero effectus in quolibet corpore est actus secundus, hoc est naturalis solum operatio, & actio. Ex his igi-
tur, si diligenter intueamur, nihil aliud naturam hanc, de qua nunc agi-
a 2. ph. t. 4. *mus, nisi vires, potentias, & facultates ad naturaliter agendum ab in-*
b Corollariū. *formante forma impertitas, & in toto subiecto corpore,*[a] *(quia talis na*
c p. post. t. 12. *tura semper in subiecto est) fusas esse manifesto constabit.*[b] *Quamob-*
p. ph. t. 49. *rem & hic præclare à philosopho dictum est, singulas animalis partes*
5. p. phiæ t. 16. *suo fungi naturali munere propter naturam, quæ est animæ facultas*
d *in toto corpore fusa, & alibi,*[c] *magis vniuersalia natura esse notiora,*
2. de anima t. 60 *quia,*[d] *cum vniuersalia in anima teneantur consignata, viribus animæ,*
3. de anima t. 38 *quantum fieri potest, separatim à corpore, cognoscuntur & intelligun-*
e *tur, in eamdem quoq; sententiam*[e] *ipsum sapere, & scire ab hominibus*
p. p. phīę c. 1 *natura expeti, & alia simlia diuinißime prodita sunt.*

Quæstio, vtrum anima in solo corde, an in toto corpore, & in singulis pariter corporis partibus tota sita sit.

QVIA sæpius ex philosophi authoritate diximus animam in solo corde, aut in eo, quod ad cor proportionem habet, in animalibus carentibus corde locatam esse, id autem quia & ijs, quæ ab eodem philosopho multis in locis traditæ sunt, & fidei, quæ à sensibus fit, refragari, & aduersari videtur, nobis esse faciendum duximus, vt nunc in vtramque partem differendo huius rei veritatem patefacere pro nostra virili parte nitamur. Primum igitur, & authoritates aßiduo innixæ vsu, et rationes,

tiones, quibus animam esse totam in toto æqualiter animato corpore, & in singulis partibus persuaderi posse videretur, in medium afferentur. Quamobrem omißis plantis in præsentia de animalibus, in quibus difficultas maxime vrget, nostra consideratio sit. Nam ita etiam[a] *docente philosopho, si à corpore animalium, quæ aut prælonga existunt, qualia sunt angues, anguillæ, lacertæ, & alia eiusmodi, aut quæ corpore longo, & quasi quibusdam articulis interfecto constant, cuiusmodi sunt iuli, & cætera similia, pars aliqua præcidatur transuersa, in ea præcisa parte integram eiusdem speciei animam, quæ in toto reliquo corpore inest, & nutrientem, et sentientem, et mouentem consistere, & aliquamdiu vigentem perseuerare cerneremus. Quæ quidem anima si in tali amputata parte nequit longo tempore permanere, causa est, quia, quæ in toto adsunt corpore, necessaria desunt ad viuendum instrumenta. Hinc igitur quamquam satis per se patere videatur animam non in solo corde, sed totam in toto corpore æque fusam esse, tamẽ potest quibusdam etiã rationibus comprobari, quarum vna hæc erit. Vbicumque sunt alicuius actiones, & operationes, ibi necesse illud esse, cuius sunt operationes, & actiones, sed in præcisis corporis partibus sunt animæ operationes, vt vidimus, ergo in ijsdem partibus animam inesse necessarium est. Quod autem vbi sunt alicuius operationes, ibidem esse oporteat illud, cuius sunt operationes, ex eo liquere potest,*[b] *quòd operatio est motus quidam, motus*[c] *autem à mouente pendet, nec ab eo seiunctus est. Altera vero ratio sic posse formari videtur, quod sua natura nullo modo diuidi potest, & simul in diuersis locis esse apparet, id necesse est, vt vbi apparet, ibi totum sit; sed anima, quia non vnũ quantũ, sed vna substantia est, & vna forma, & eo ipso tempore in diuersis partibus à corpore, atq; inter se diuulsis esse apparet, ergo anima in eiusmodi partibus, in quibus apparet, tota esse necessario debet. Quòd autem anima sit substantia, declaratum ante quidem est, quòd vero substãtia diuidi nequeat, pulcherrime ostendit philosophus,*[d] *vbi de infiniti natura pertractat. Ita & rationibus, & authoritatibus vsu sensuum fultis adduci quispiam posset, vt animam non in solo corde, sed totam in toto æqualiter corpore sparsam esse crederet. Contra tamen non solum hic philosophus*[e] *& sentit, & apertißime locutus est, sed etiam natura ipsa, si eius diligentes scrutatores, & contemplatores erimus, nos perbelle docere potest. Nam cum generatur animal, non totum simul,*[f] *sed particulatim, et primum omnium aliarum partium generatur cor. In eo autem, quia nutriri, & augeri debet, vt anima statim,*[f] *cuius virtute & nutritio, & accretio fit, & reli-*

quæ

a 4. de aĩaliũ hist. c. 7. 4. de partib. aĩalium c. 6. p. de anima t. 68. 93. 2. de aĩ t. 20 lib. de long. & breu. uitæ c. 4. lib. de iuuen tute & senectute c. 1. 7 p. phĩæ t. 56.

b p. de generatione, & corruptiõe t. 45

c 3 ph. t. 18. 20

d 3. ph. t. 35

e 3. de partib. aĩalium c. 4. 2. de generatione aĩaliũ c. 1. 4.

f 2. de generatione animalium c. 1.

quæ generandæ sunt partes, insit, necesse est. Quæ, quamquam ab initio generationis minime suas omnes re ipsa facultates habeat, sed ad corporis perfectionem ipsa quoq; perficiatur,[a] & gradatim eas deinceps sortiatur, tamen, cum perfecta est, & omnibus suis viribus cumulate viget, non est rationi consentaneum, neque vlla extat causa, cur ei locus, atque sedes mutanda sit, cum præsertim[b] cor caloris vim, optimam ministram omnium vitalium, naturaliumq; operationum animæ in se contineat. Ex quo tũ ex philosophi rursus sententia, tum ex hac breui naturæ contemplatione, animam in solo corde locatam, & constitutam esse intelligi potest. Quamobrem, vt talem dirimamus, & tollamus controuersiam, pauca quædam esse ponenda censemus. Horum autem vnum est, quòd omnia, quæ natura per se existunt,[c] ex forma, & materia constant; alterum, quod materia omnino imperfecta est, quia,[d] potentia tantummodo cum sit, sola formæ susceptione actu efficitur, & iccirco a forma ipsa omnem consequitur perfectionem; tertium, quòd eorum, quæ ex materia, & forma componuntur,[e] alia perfectiora, alia imperfectiora sunt, perfectiora, quorum materia ita pura, ac temperata est, vt in illis informandis, & constituendis nullum sit à materia oblatum viribus formæ impedimentũ, imperfectiora autem, in quibus tanta est, frigida concretio materiæ, vt formæ vires hebetes redditæ minus bene, atque perfecte potuerunt ea informare, atq; constituere corpora; quartum, & vltimum, quòd anima[f] est forma, corpus autem materia ipsius compositi. Ex his constat quòd animalia, quæ natura per se existunt, ex materia, quæ est corpus, & ex forma, quæ est anima, constituta sunt, quorum alia propter materiæ frigidam craßitudinem obruentem vires formæ imperfectiora, alia propter materiæ tenuitatem sincerã, quæ à viribus formæ in informatione subacta est, perfectiora extant. Cum igitur interfectorum animalium crassæ,[g] atq; frigidæ materiæ plurimum præ imbecillis animæ informantis viribus sit, nequiuit anima, quæ in vnoquoque,[h] vna est,[i] neque eorum cor, neque corpus perfecte vnum, vt sibi in vnius similitudine conueniret, fingere, ac formare, & propterea multas illas interjectiones, tanquam multa parua formauit animalia, ex quibus omnibus, quoquo modo potuit, vnum conflauit imperfectum animal. Atq; in singulis interfectionibus eorũ, quæ habent corpus procerũ, propter frigidæ materiæ multiplicem coagmentationem quiddam[k] instar cordis ingenitũ est: quam ob causam anima, quæ in vnoquoq; talium animalium actu vna est, & potentia plures in omnibus ijs, quæ cordis loco in singulis medijs interfectionibus ingenita sunt, insidet. Quapropter in corpore sic coagmẽtato cũ anima.

a 2 de generatione animalium c.3.
b 2. de partib9 aĩalium c.7. lib de iuuẽtute & senectute c.2.
c p ph.t.65.
d p ph.t.79. 2 ph. t. 11.
e 4 meteo. t. 54.
f 2. de anima. t 4.24.15.
g 4. de partib9 aĩalium c.6.
h 2. de aĩa t 31
i lib. de iuuẽtute & senectut. c.1.
k 4. de partib9 aĩalium c 6. lib. de iuuentute & senectute c.1.

anima re vera vna sit, si interfectiones cum suis medijs cordi similibus diuellantur, in singulis diuulsis & sentiendo, & mouendo anima, se inesse declarans plures facta erit; quamuis deficientibus necessarijs ad viuendum instrumentis diutius manere non possit. Vnde in eiusmodi animalibus corde carentibus animã non in toto corpore, sed in ijs, quæ ad cor proportionem habent, sitam esse, obscurum non est. In prælongis autem, quales sunt angues, anguillæ, & lacertæ, quæ sunt quidem, quàm superiora, aliquanto perfectiora, quia in his quoque frigida, atque crassa suppetit materia, ita sanè valens, & expedita est anima, vt & cor, in quo residet, & vnumquodq; corpus illorum vnum plane formarit, & ideo ipsa tum actu, tum potentia est vna; verumtamen ex ea materia caloris inopi non potuit ob suam imbecillitatem tam excellentis naturæ fingere cor, vt longe cæteris corporis partibus, quemadmodum par esset, præstet. Atq; id quidem ita se habere exiguitas sanguinis, qui in eo continetur, facile declarat. Quamobrem, cum animæ facultates à corde profectæ in omnibus corporis partibus, quæ non valde dißimiles, neque multo sunt ipso corde deteriores, insitæ sint, si qua pars à corpore abscindatur, etiam si nullam cum corde coniunctionem, continuationemue habeat, potest nihilominus per aliquod temporis spatium propter similitudinem, quæ illi cum corde est, animæ vires, ac facultates retinere, & conseruare, neque propterea animam in ea esse asserere conuenit. Perfectorum autem animalium, cuiusmodi est homo, equus, leo, & alia similia, in formandis, constituendisq; corporibus anima propter materiam[a] calore temperatam, suas vires sic solutas, & liberas habet, vt & cor cum summa excellentia, atq; præstantia cæterarum omnium partium, & corpus cuiusq; maxime vnum effingat, & formet, & denique ipsa tum potentia, tum actu vna omnino sit. Cuius actiones, & operationes cum potißimum propter cordis, in quo ipsa locata est, natiuum calorem in toto extent corpore, si qua pars à corpore præcidatur, & à corde separetur, continuo, quia cordi est dißimillima, omnem & viuendi, & agendi virtutem, & facultatem, quam à corde hauriebat, amittit. Quod quidem manifestißimum indicium est, animam in solo corde, non autem in toto corpore perfectorum animalium sitam esse. Nihil igitur neq; assiduum aspectum, si causa cognoscatur, neque adductas authoritates, si recte accipiantur, contra facere apparet. Et,[b] quia veritas sibi ipsi, semper consentanea est, restat, vt nihilo plus valere rationes adhibitas, quàm quotidianus valet aspectus, & authoritates, similiter ostēdamus. Id quod facilius, promptiusq; futurum est, si ea, quæ paulo ante dicta sunt, memoria tenuerimus. Nam, quòd

a 2 de partib. aïalium c.7.

b p priorū sectione 3. de resolutione syll. p Eth. Nic. c. 8

quòd in priore ratione ambæ sumptæ sint falsæ propositiones, perspicuum est, quia non vbi sunt propria alicuius operationes, ibidem illud esse, cuius sunt operationes, necesse est, quandoquidem ferrum candens remoto igne manum calefacit, quæ est propria ignis operatio, & tamen ibi ignis nequaquam est, similiter[a] aer receptis manus lapidem iacientis viribus, quoad eas retinuerit vires, quiescente, & amota manu mouet lapidem. Quare & in partibus prælongorum animalium à corpore abscisis insunt operationes animæ propter ipsius impressas in illis partibus vires, atque aliquandiu retentas, non tamen ibi, vt docuimus, est anima ipsa. Quod autem pro rationis confirmatione allatum fuit, motum, siue actionem à mouente, aut ab agente non seiungi, verissimum etiam in his, quæ modo diximus haberi debet, & ideo non magis ratio illa, quàm hæc, quæ dicta sunt, confirmantur. Vt enim, cum manus à candente ferro calefit, tum ea calefactio non ignis, qui eo tempore longe abest, sed candentis ferri præsentis, à quo non separatur, ex inusto calore igneo est, sic actio partis præcisæ non animæ tunc, sed illius partis, à qua non seiungitur per impressas, atq; adhuc vigentes animæ vires putanda est. Posterior autem ratio non contra hanc veritatem, sed ab hac veritate stare videtur. Nullo enim modo animam diuidi & nos quidem concedimus, & ideo in singulis insectorum animalium diuisis partibus totam esse animam dicimus, nec tamen in amputatis prælongorum animalium partibus animam, sed animæ ad tempus seruatas facultates, ex quibus extant operationes, esse ostendimus. Quamobrem remanet verissimum esse animam in solo corde, non autem in toto corpore, & in singulis corporis partibus totam sitam esse.

a 8. ph. t. 82 3. de cœlo t. 28.

ARISTOTELES.

Quibusdam autem & inuoluntarijs mouentur quædam partium, plurimis autem non voluntarijs dico autem inuoluntarios, veluti & eum, qui cordis, & eum, qui genitalis membri est. Sæpe enim cum aliquid conspectum fuerit, nec tamen iusserit intellectus, mouentur. Non

voluntarios autem, vt somnum, & vigiliam, & respirationem, & quicunque alij tales sunt. Nullus enim horum in potestate simpliciter neque phantasiæ, neque appetitus est; sed, quoniam necesse est, alterari animalia naturali alteratione; particularum autem, quæ alterantur, alias augeri, alias autem minui, vt iam moueantur, & mutentur mutationibus, quæ sunt natura comparatæ, vt se deinceps consequantur, causæ porrò motuum sunt calores, & frigora, tum quæ extrinsecus, tum quæ intus naturalia existunt. Etiam motus, qui præter rationem fiunt, dictarum particularum, cum alteratio contigerit fiunt. Intellectio enim, & phantasia, vt dictum est prius, afferunt ea, quæ sunt, affectuum efficientia, afferunt enim species efficientium. Maxime autem particularum hæ palam faciunt, propterea quòd, tanquam segregatum animal vtraque particularum est. Horum autem causa, quia humorem habent vitalem. Cor igitur, perspicuum; ob eam causam quòd principia sensuum habet, particula autem ad generandum constituta, quòd tale signum est, ete-

nim ex ipsa, tanquam animal quoddam exit seminis potentia.

ECPHRASIS XXI.

Absoluta iam, & explicata voluntarij motus tractatione, cum animal non solum sua sponte ipsum à se voluntario, sed etiam quædam illius partes, aut inuoluntario interdum, aut non voluntario plerumque ex se cieantur motu, consequens est, vt ad perficiendam motus animalium cōtemplationem nonnulla de his etiam duobus posterioribus, quantum instituta doctrina postulare censetur, cognoscenda tradantur. Nam quidam motus in animalis corpore, vt trepidatio, palpitatióque cordis; ac penis intentio extant, qui, quia non nunquam sine voluntatis, & rationis consensu, atq; iussu cientur, recte inuoluntarij, aut etiā præter rationem nominari solent. Persæpe enim aut oblata re, vel terribili, & formidabili, vel iucunda, & expetenda cor vel metu trepidare, vel cupiditate palpitare, aut, si forte egregia forma mulier perspecta erit, penem etiam intendi non hortante, iubenteúe, sed plerumque aduersante, & repugnante ratione, ac voluntate, sentimus. Præter istos autem sunt etiam plurimi alij motus, qualis est somnus, vigilia, respiratio, pulsus, accretio, diminutio, & quicumque tales cæteri reperiuntur, qui cum quasi medij inter voluntarios, & inuoluntarios interiecti sint, ideo apte non voluntarij nominantur. Horum enim motuum nullus, neque rationi, & voluntati contrarius est, neq; à phantasia, per quam rei alicuius phantasma cognoscatur, neq; à voluntate, per quam res, cuius est illud phantasma, expetatur, vllo modo pendet, & excitatur; sed, quia necesse est, animalia,[a] dum viuunt, nutriri;[b] nutritio autem calore ingenito, qui maxime[c] omnium etiam ipse nutriri debet, perficitur, ob eam rem fit, vt assidue animalia caloris operatione mutentur, atq; aliquo modo afficiantur. A quibus quidē affectionibus, ac mutationibus cū particulæ corporis inuaduntur, & occupantur, ipsarū particularū alias calore crescere: alias aūt frigore decrescere necesse est. Ex quo euenit, vt singulæ iam suis proprijs afficiātur, & cieantur mutationibus, & motionibus, hoc est somno, vigilia, & alia simili mutatione, quæ suapte natura alicui alij antecedenti consequens esse debeat. Talium autem motuum, ac mutationum causæ existunt calores, & frigora tum quæ intus, vt modo diximus, ingenita

a p de generatione & corruptiōe t.41 2. de anima t.47.

b 2. de partib. aīaliū c 3.7. 2. de anima t.41 lib. de uita, & morte c.2

c lib. de resp. c.15

genita sunt, quorum operationes tunc maxime apparent, cum cibus sumptus in naturam eius, qui alitur, conuerti debet, tum [a] *quæ ex adducto extrinsecus aere animal pellunt. Eodem autem modo etiam cordis, & penis motus, qui inuoluntarij, & præter rationem dicuntur, fiunt, cum videlicet aliqua mutatio in partibus corporis, & affectionum variatio acciderit. Cum enim neque cor palpitare, aut trepidare, neque penis intendi soleat, nisi, vt diximus, ob rei alicuius cognitionem, profecto apparet, quod rerum species, quæ vel à rationis notione, vel à phantasiæ cognitione præbentur, semper aut calorem inferunt, quemadmodum supra ostendimus, aut frigus, quorum alterutro partes corporis afficiuntur, & immutantur, & tum deinceps alios sibi consequentes inducunt motus. Id autem sic se habere planum admodum faciunt maxime omnium partium hæ duæ, quas commemorauimus; cor & penis ex eo, quòd eorum vtrumq; tanquam animal quoddam per se separatum esse videtur, atq; quòd ita sint, causa est, quia humorem in se ambo continent vitalem. Cor igitur rem sic se habere propterea indicat, quòd* [b] *omnium sensuum principia comprahendit, & in se coercet, sensibus autem* [c] *animal, vt animal est, constituitur, cuius vita* [d] *humido naturali, & calido continetur, ac seruatur. Quapropter cor humorem, et calorem naturalem, tanquam principia vitæ habeat, necesse est. Penis autem id ipsum declarat, quia est eiusmodi membrum corporis, atque signum, vt ad generandum constet esse datum. Tale autem sine quodam humore esse minime posset. Nam ex eo etiam, tanquam animal quoddam exit humidum semen, in quo* [e] *vt in instrumento vis, & facultas animæ ad generandum fusa, atque insita est.*

a 8. ph. t. 20. 51 lib. de resp. c. 14.
b 2 de partib. aïalíũ c. 1. 10 3 de partib. aïalium c. 4. 2. de generatione aïalii c 4. lib. de iuuẽtute & senectute c. 2.
c 2 de partib. aïalium c. 1. 2. de anima t. 16 3. de anima t. 67 2. de generatione animalium c. 3.
d p. de aïalii hist. c. 4. lib. de long. & breu. uitæ c. 3.
e p. de generatione animalium c 20 2. de generatione animalium c. 1. 5.

ARISTOTELES.

Motus autem & principio à partibus, & partibus à principio iure eueniunt, & sic mutuo inter se permeant: oportet enim intelligere .a. principiũ. Motus igitur secundum vnumquodque elementum ex his, quæ inscripta sunt, ad principium perueniunt, & à principio, cum mouetur, & mutatur, quoniam potentia est

multa, principium quidem ipsius .b. ad .b. principium autem ipsius .c. ad .c. amborum vero principium ad ambo, ab ipso autem .b. ad .c. quod autem ab ipso .b. ad .a. venerit, tanquam ad principium, ab ipso autem .a. ad .c. tanquam à principio. Præterea autem interdum quidem, si hæc notione perceperimus, fit motus, qui est præter rationem, in particulis, interdum autem non. Causa autem, quòd modo inest patibilis materia, modo autem non tanta, aut talis. De particulis igitur vniuscuiusq; animalium, & de anima, præterea autem & de sensu, & memoria, & somno, & communi motu diximus causas, reliquū autem est de generatione dicere.

ECPHRASIS XXII.

Qui inuoluntarij, et qui non voluntarij motus sint, & quomodo vtrique in animalibus fiant, paucis quidem, sed, quantum in præsentia satis est, pulchre declaratum esse apparet. Quamobrem cum isti trium generum motus, voluntarios dico, inuoluntarios, & non voluntarios, nequaquam cieri poßint, nisi mutationes, & alterationes, quemadmodum vidimus, in corpore fiant, necesse est, propter omnium partiū continuatam cognationem, atque consensionem, vt eiusmodi mutationes, & alterationes, siue intus à corde, vbi animalis principium est, siue ab externis sensibus initium faciant, in totum diffundantur, & permeent corpus. Iure igitur naturæ is seruatur ordo, vt primum tales siue mutationes, siue motus ab externorum sensuum[a] instrumentis exorsæ ad cor, tanquam ad totius vitæ, & omnium sensuum principium perueniant, deinde ab ipso corde ad omnes transfundantur partes, atque hac eadem via, & ra-

[a] 3. de aīa t. 39

tione

tione inter eas ipsas corporis partes vicißim transmittantur, et communicentur. Id enim ita fieri, vt notius habeamus, sub aspectu denuo eam ponamus lineam literis .b.a.c. distinctam, quam paulo ante etiam descripsimus, atque ipsum .a. cogitatione nostra faciamus esse cor, in quo est principium .b. autem oculum, & .c. aurem. Motus igitur, seu mutationes, quæ tum videndo, tum audiendo vel eo ipso tempore, vel diuersis temporibus fiunt, aut simul,[a] *etiamsi dißimiles sint, aut separatim ad principium statim perueniunt, quia vnusquisque sensus, cum primum ab externis sensibilibus immutatur sentiendo,*[b] *natura est constitutus, vt continuo mutet sensum interiorem communem, qui in corde*[c] *tanquam externorum sensuum principium locatus est: si autem à principio, quod*[d] *per phantasma aliquod in sensu communi formatum moueretur, atque mutaretur, inciperent, quia principium ipsum re vnum est, sed potest, tanquam in plura distingui, si initium sensus videndi seorsum moueretur in corde, is motus ad oculum deueniret, si autem initium sensus audiendi mutaretur ad auditum talis mutatio deriuaretur separatim, si vero amborum simul initium moueretur, simul etiam ad vtrumque vterque diffunderetur motus; at si non ab ipso principio, sed ab vna ad alteram partem hoc est, non à corde, sed ab auditu ad videndi instrumentum mutatio aut iucunda, aut molesta migratura esset, prius ad cor, quàm ad oculum peruenire deberet, & propterea etiam talis migratio mutationis tanquam duos indueret habitus, primo vnum, vt ad principium, post vero alterum, vt à principio proficiscens. Præterea vero nequaquam illud nos latere decet, quòd, quamuis motus inuoluntarius, seu præter rationem excitetur aut cognitione, aut notione earum rerum, quæ ad illum idoneæ sunt excitandum, tamen accidere potest, vt etiam, si talium rerum perceptas species acri cogitatione, & consideratione complectamur, fiat quidem interdum aut in corde, aut in pene is motus, interdum autem ne vllum quidem ipsius extet vestigium. Huius autem rei causa est, quia quando motus efficitur materia, quæ primum patitur, & subit talem motum, adest, & sic facit, vt cætera quoque moueantur, quando vero non efficitur, aut non talis, aut non tanta, qualis, vel quanta satis sit ad eum sustinendum motum materia inest, vt si robusto, atque forti viro formidolosum aliquid obijceretur, nequaquam neque ipse timeret, neque eius cor trepidaret, quia calore affluente materia frigida*[e] *habilis ad eum tremoris motum suscipiendum, dum*[f] *calor in angustum cogitur, aut omnino non adest, aut non tanta, quanta sufficere poßit. Ad hunc igitur vsque locum speciatim de animalium partibus*

a lib. de sensu & sensibilibus c.8.
b 3. de anima t.31.
c lib. de iuuētute & senectute c. 1.
d lib. de memoria & reminiscentia c.1.
e 2. de partib⁹ aialium c.4. 3. d partib⁹ aialium c.4. 4. de partib⁹ aialiū c 5.11
f lib. de resp. c.15

partibus, quæ sunt illorum materia, & de anima, quæ est forma, & de sensu, prima eorumdem actione, & memoria, somno, ac vigilia, & communi motu, quæ sunt naturaliter deinceps consequentes operationes, tractatum est, causæque, cur ista singillatim tributa sint animalibus, explicatæ sunt, reliquum modo est, vt de illorum generatione doctrina etiam adiungatur.

FINIS.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L.

Omnes ſunt quaterniones.

VENETIIS,
Per Gratioſum Perchacinum
M. D. LXVI.